

B. h. II, 102.  
h. 22, i.

(X 1783342)

II K  
2222

EXERCITATIO  
DE  
VRBIBVS  
GERMANICIS,

Q V A M  
D. O. M. A.

P R A E S I D E

*Clarissimo, Excellentissimo, Experien-  
tissimo Viro*

HERMANNO CONRINGIO  
PHILOS. AC MED. DOCTORE, HV-  
IVSQUE PROFESSORE PVBLICO,

Præceptore ac fautore plurimum  
honorando

Ex ejusdem privatis præcipue discursibus  
concinnatum.

PVBLICE IN ILLVST. ACAD. IVLIA

*Ad XXII. Decemb. Anno MDCCXLI.*

Denfendet

GERARDVS BODE Hamburg.



HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. typ.

Anno MDCCXLI.



370.





## THESES I.

*Secundum antiquissima civitas l. 15.  
y. dult. d. comp. h. l.*



E regni Germanici Urbibus agere quoniam animus est, prius in genere de Civitatum & Urbium origine atque causis quaedam præfari forte haud abs re fuerit: si modo quid civitatis quid item urbis nomine indigemus, paucis prius exposuerimus. Ita enim non tantum præstantissimorum philosophorum ductum sequemur, verum etiam multo rectius in sequentibus progredi poterimus.

II. Est vero ἡ πόλις aut civitas, juxta optimum & dicendi & sapiendi magistrum Aristotelem, nihil aliud quam societas liberorum hominum bene beateque vivendi gratia constituta. Urbs autem propriè mœnibus definitur & loci alicujus munitione.

III. Esse autem inter hæc maximum discrimen, cum per se manifestum est, tum vel exinde patet, quod totum aliquem Ducatum aut provinciam civitatem quandam appellare liceat, si nimirum jisdem legibus utatur, non tamen unam urbem. Absurdum enim foret Peloponnesum v. gr. licet unis mœnibus cincta esset, unam urbem dicere.

IV. Quanquam vero hæc prima sit significatio vocabuli civitatis eaque ratione ab optimis Latinis antiquis scriptoribus usurpetur, sequentibus tamen secu-

372

lis fere urbem coepit notare & nihil aliud. Sic & urbis ac-  
ceptio coepit diffundi ad loca neutiquam munita, modo  
majorem aedium frequentiam conjunctam comprehen-  
derent. Scilicet aut sparsim amplis spatiis locantur do-  
mus, aut sedibus conjunctis habitatur. Hoc vero fit vel  
paucis, vel paulo pluribus, vel denique ea multitudine  
coeuntibus domibus, quae ad vitam sic satis bene degen-  
dam requiritur. Prior congregatio nobis ein Dorff /  
Latinis vicus, nonnullis vulgo pagus audit. Altera imo  
& tertia si moenibus careat, nobis ein Flecken / sequioris  
aevi scriptoribus minus Latine Villa, nonnunquam &  
Vrbs dicitur: sola tamen illa tertia ein Stadt / appellatur  
praecipue si eadem sit moenibus cincta. quod proprie  
classis scriptoribus Latinis Vrbs est.

V. Sed quicquid sit, quia de nomine tantum est  
quaestio, non est quod hic operose simus solliciti, sed no-  
bis quidem *civitas & vrbs* dicantur prout modo definivi-  
mus: interim vocabulo urbis potissimum utemur, utpo-  
te quod omnium commodissime & structuram & ipsam  
hominum societatem denotat.

VI. Hisce praemissis nunc videndum, quanam  
causa primum homines commoverit civilem aliquam  
societatem inire, & multis adeo legibus sese subicere.

VII. Sunt autem hac de re diversae diversorum sen-  
tentiae. Nonnulli quidem omnem civitatem a tyrannico  
imperio initium sumsisse autumant; quasi nimirum primi  
tyranni domitos a se populos in unum coegerint. Alij  
contra sponte credunt homines nonnullos coisse, metu  
tamen quali coactos, scelere improborum hominum ubi-  
vis late grassante.

IX. A quibus tamen utrisque longe dissentit A-  
ristoteles: vult enim ille hominem natura, h. e. naturae  
innato

573.  
innato instinctu ad civilem societatem ferri, adeoque naturam esse animal πολιτικόν. Hominem namque etiam omni malorum metu absente, nihilominus naturam civilem hanc societatem appetere.

IX. Videtur autem Aristotelis sententia præ alijs verisimilis, adeoque ut in cæteris ita & hac in re maxime sequenda. Nam primæ quidem illius & secundæ opinionis autores affirmare coguntur, quod si per Adami lapsum non in vitia defecisset humanum genus, nullam futuram fuisse civitatem; contra quam tamen omnino res se habere videtur.

X. Primum enim certum est, homini natura quasi ante lapsum etiam inditum esse sermonem: quorsum vero nisi societatis gratia? quippe cum instrumentum sit nulla alia de causa homini concessum, quam ut ea quæ nocent sibi quæve profunt, & per consequens quid justum sit ac injustum eo significare possit; si vero nullus sit cum quo loquaris, ne quidem sermone tibi opus fuerit. Est autem homini sermo non tantum de iis quæ ad domesticam, sed de omnibus etiam quæ quocunque modo ad vitam feliciter degendam requiruntur. Quod si igitur natura homini datum est illud quod non tantum requiritur ad societatem, verum etiam non aliam ob causam requiritur quam ob societatem, manifestum utique est hominem naturam quoque ferri in societatem civilem: nisi frustra sermonis usum homini à natura concessum dicere velis.

XI. Secundo certum est & illud, quod licet homines non essent lapsi, tamen quidam ad imperandum quidam ad parendum fuissent nati; utpote cum discrimen hoc naturale prorsus sit homini, uti præclare observatum est Aristoteli *lib. 1. Polit. c. 5.* Videmus enim na-

tura foeminam quoad ingenij & iudicij vires non minus ac ratione corporis viro esse imbecilliolem: videmus quoque naturam inter iam adultos & pueros ut ætatis ita & ingenij discrimen vel maximum reperiri: habent enim pueri naturam imperfectam consultantis vim, eoque aliis opus à quibus manducantur, virtusque eorum perficiatur. Quod sane discrimen in hominibus etiam non lapsis animadvertere licuisset: quippe cum & ipsemet Salvator noster nullo licet peccato contaminatus, sapientiam scribatur profecisse. Ut autem minus prudens obsequatur prudentiorum consilio & monitis, id vero recta ratio suadere videtur. Hinc itaque patet, tametsi lapsus nullus primorum parentum intercessisset, futurum tamen fuisse ordinem quendam & distinctionem obsequentium & imperantium. Talis autem ordo circa societatem nequicquam potest constitui.

XII. Procul dubio autem etiam tum, alii quidem omnia illa iussissent quæ ad vitam feliciter degendam postulatur; alii vero his in omnibus illis obtemperassent. At ubi est societas imperantium & obsequentium in omnibus vitæ negotiis quæ ad felicitatem requiruntur, est civilis societas. Nihil enim aliud est civitas quam talium hominum societas perfecta, bene vivendi gratia instituta.

XIII. Tertio & illud constat, quoniam ob mutuam operam & vitam feliciter degendam ad societates inter se ineundas natura homines ducuntur, licet lapsi non essent, multo certe magis ad civilem societatem eosdem perpendisse. Quisque enim quoad fieri potest bene & feliciter quam misere vivere satagit; atqui id nemini rectius quam in civili societate viventi obtingere potest, utpote quæ omnium perfectissima est & totius  
fere

375.  
fere sufficientiæ summam in sese continet. Vnde recte inquit Aristoteles 1. Pol. c. 2. *eum qui natura in societate vivere nequit aut extrema malitia esse aut homine potio- rem*: ctenim conjungi hominibus non posse ferarum est; at conjunctione non egere, solius est Dei.

XIV. Quanquam vero tam alte arcessenda merito est origo civilis societatis, omnino tamen concedendum est, aliam longe futuram fuisse faciem Reipublicæ, siquidem homines nullis sese peccatis contaminassent, quam nunc necessitate exigente passim solet institui. Multa enim nobis nunc perfecto deficiunt, & tranquillitatem vitæ plurimum perturbant hominum scelera: quibus omnibus occurrendum nunc est per varij generis artificia, arma, consilia, opes, si modo velimus tranquille vivere; quorum tamen nullus fuisset usus, siquidem homines in primogenia integritate vitæ perstitissent.

XV. Atque hinc coacti sunt varie se contra petulantissimorum hominum injurias munire, unde progressu temporis urbes sunt exortæ: in quibus jam non tantum rerum ad vitam necessariarum ipsis copia suppeteret, sed quarum etiam beneficio hostium injurias à se propellere possent.

XVI. CAETERVM quò ad res Germanicas transeamus, urbium nullas Germanorum populis ante mille sexcentos præter propter annos habitatas fuisse, antiquam memoriam repetentibus facile apparet. Enimvero quæ de antiquiore urbium nonnullarum initio à quibusdam memorantur, figmenta mera sunt & inanes fabulæ, ut quorum fides nullis neque peregrinis neque domesticis monumentis sit subnixa. De suo ævo, hoc est, ætate Trajani diserte Tacitus, cui res Germanicæ fuerunt

376. runt compertissimæ: *Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est: ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.* Loquitur autem ille de Germaniâ magnâ: in ea scilicet quæ parebat Romanis cis Rhenum Germaniâ urbes tum fuisse, ipse non semel alibi prodiderat. Et vero hæc est causa quare pleræque urbes Germaniæ vel à fluvijis, vel campis vel etiam sylvis nomen post acceperint: id quod latè deducitur à Philip. Cluv. *Germaniæ Antiquæ l. 1. c. 13.*

XVII. Nec tamen nos Cluverio facile in alijs assentimur, quæ de antiqua Germanorum habitandi ratione ille memorat, quasi nempe illum morem servaverint quem Tacitus Fennis adscribit, utut promiscue Germanis simile quid tribuere Seneca videatur. Sunt autem verba Taciti de Fennis: *nullos iis penates; vestium pelles, cubile humum: nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugimus, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redisse juvenes; hoc senum receptaculum fuisse, id beatius arbitratos quam domibus illaborare.*

XIIX. Neque vero hæc ad omnes Germanos trahenda, sed Fennorum id proprium. Idem certe Tacitus Germanis omnibus non ædium usum attribuit tantum, sed & struendi rationem narrat. Venedos idem inter Germanos potius referendos censet, quam inter Sarmatas, *quia domos figunt, Sarmatis in plastro viventibus.* Neque ille Fennos audeat Germanis accensere; quin testatur illas *miram fuisse feritatem, fædam paupertatem;* quæ scil. omnia Germanis erant diversa. Ut proinde, quæ fuscæ & narrat & pingit de habitaculis Germanicis Cluverius, plus ficti habeant quam veri.

XIX. Id verius & certius priscos Germanos non tantum dispersos hinc inde coluisse, sed & vicis inhabitasse



bitasse. Expresse Tacitus: *Vicos locant non in nostrum* (Romanorum videlicet) *morem connexis & coherentibus aedificiis; suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi.* Dudum ante Tacitum Cæsar l. 4. de bello Gallico scribit Menapios ad utramque Rheni ripam *aedificia vicosq; habuisse.* Et vero Historici Romani passim vicos Germanorum memorant & domos rudes licet & incultas.

XX. Sed vicos quidem incoluerunt Germani præfeci, urbes tamen nullo modo ferre potuerunt, quin potius ad exemplum Lacedæmoniorum pro mœnibus juventutem suam reputarunt, magno sibi dedecoti existimantes mœnijs se valloque cingere. Unde quoque Tenteri apud Tacitum l. 4. *Histor.* Vbiis istam ignaviam exprobrantes sic inquirunt: *Vt amicitia societasq; nostra in æternum rata sint, postulamus à vobis, muros colonie, munimenta servitij, detrahatis, etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur: liceat nobis vobisq; utramq; ripam colere, ut olim majoribus nostris: quomodo lucem noctemq; omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Quomodo scilicet Poloni hodieque ex antiquo more oppida munita non magni faciunt, neque eorum nisi exiguum habent numerum.

XXI. Neque vero Taciti fidem in dubium quis vocaverit opposito testimonio vel Iulij Cæsarum vel Claudij Ptolomæi, quem paulo post Tacitum ætate Antonini constat Geographica sua conscripsisse. Enimvero Iulius Cæsar & Svevis & Vbiis utrique Transrhenano tum populo sua oppida adscribit *comment: IV. Suevos postquam per exploratores pontem fieri comperissent, more suo concilio habito nuncios in omnes partes dimisisse, uti de oppidis demigrarent: liberos, uxores, suaque omnia in sylvas deponerent.* Et *comment:*

B

ment:

378. ment: VI. *Vbiis imperat ut pecora deducant, suaq; omnia ex agris in opida conferant.* Neq; potest negari Ptolomæum amplius nonaginta in magna Germania recensere loca πόλειων nomine; sed non est dubitandum auctores illos per πόλεις aut opida nil quicquam aliud quam vicos non munitos intellexisse. Et vero neque ἡ πόλις neque opidum proprie urbem significat aut locum munitum. Et quidem ejus naturæ fuisse tum τὰς πόλεις Germanicas, vel unum Herodiani testimonium evicerit l. 7. in vita Maximi; cum enim scripserit: *vicosq; omnes incendendos diripiendosq; militibus concessit*: subjungit, *namq; opida eorum (τὰς πόλεις αὐτῶν) atq; ædificia omnia ignis depascitur*, uti liqueat Herodiano τὰς πόλεις hic esse idem ac τὰ κώμας.

XXII. Pari vero ratione non est quod ex burgi appellatione, jam Ptolomæi ævo nonnullis locis adjecta, mœnia & fossas Germanis usurpata quis credat. Etenim est *burgus* quidem Romanis sequioris ævi *castellum parvulum* ceu testatur Vegetius l. 4. c. 10. at alia significatio obtinuit olim apud Germanos. Diserte enim Orosius l. 7. c. 22. & Isidorus l. 9. c. 2. de Burgundionum vocis origine differentes: *crebra habitacula constituta burgos vulgo vocant.* Clarius Luitprandus l. 3. c. 12. *ipsi (Germani scilicet) domorum congregationem que non clauditur, burgum vocant.*

XXIII. Sed quid in re clara opus est verbis? Sanè nemo historicorum qui expeditiones Romanas in Germaniam usque ad seculum à nato Servatore quintum sat prolixè descripserunt, vel verbulo urbis alicujus per Germaniam magnam meminissent. Quin nec vicos aut ædificia aliter describunt ac Tacitus, ceu ex Herodiano est manifestum. Ammianus Marcellinus l. 16. cap. 3. narrat Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Sali-

379.  
Salisonem, Nemetes, Vangiones & Moguntiacum civitates, Germanos transrhenanos possedisse quidem, non tamen ipsas urbes sed territoria inhabitasse, *nam, ait, ipse oppida ut circumdata retibus lustra declinant.*

XXIV. Quin igitur magna Germania nullam habuerit urbem ante quintum seculum Christianum non est dubitandum. Sequentibus usque ad seculum nonum temporibus paucæ itidem vel prope nullæ extructæ: sunt à Germanicis populis, qui certe Germanico solo non egressi sunt. Neque vero in ullo bonæ fidei scriptore reperias mentionem ullius urbis tanto temporis spatio structæ, in immenso illo terrarum tractu qui Danubio, Rheno, Bohemicâ & Thuringicâ sylva usque in Saxoniam aut Westphaliam definitur: si unum fortè exceperis VVurtzburgum, cujus in vita S. Kiliani fit mentio, ita tamen ut nescias urbsne tum fuerit an opidum aliquod nullis cinctum mœnibus.

XXV. De Thuringia tamen proditur apud Gregorium Turonensem *lib. 3. Hist. Franc. c. 4. & 7.* & VVitkindum Corbejensem *Histor. Saxonie l. 1.* urbem munitam Schidingam ad Vnstrutum sitam à Saxonibus occupatam, quo tempore per Theodoricum Francorum regem Thuringiæ regnum est destructum, h. e. circa annum 524. Sed præter hanc unam (cujus nunc etiam vestigia perierunt) urbs alia nulla memoratur.

XXVI. Nec in Frisia ullam urbem videntur invenisse Franci quando regnum ejus eversum est per Carolum Martellum, si unum excipias Trajectum ad Rhenum à Romanis extructum; certè ejus ævi monumenta nullam memorant urbem à Francis occupatam. Venit autem eâ ætate Frisiæ nomine omnis maritima ora à

B: Rhe-

380. Rheno ad Visurgim, adeoque & Hollandiam & Zelandiam  
tum comprehendit.

XXVII. Id certissimum videtur, ætate Caroli Ma-  
gni in omni Saxonîa i. e. VVestphaliâ, Angrivaria, o-  
mnique illo tractu qui est inter Visurgim, Albim, Meli-  
bocum montem & Salam amnem, imò nec trans Albim  
ad Eidoram usque, ubi nunc floret Holsteniæ Ducatus  
nullam omnino urbem inventam. Cum enim ab Aimo-  
nio inque Annalibus Francicis aut Fuldenibus diligentissi-  
me narretur quid quoque anno in bello Saxonico gestum,  
quibusve modis libertatem suam Saxones defenderint,  
urbis tamen nullius vel levis fit mentio. At vero obsidere  
& occupare utique debuisset urbes Carolus, si quæ tum  
extitissent. Quid? quod soli VVestphali legantur duobus  
se se castellis tum defendisse Eresburgo & Sigeburgo. Sane  
ne arx quidem ulla à Carolo inter Visurgim, Salam & Al-  
bim aut trans Albim occupata memoratur. Quo collige-  
re est nullam tum extitisse.

XXIX. Enimvero & urbibus nonnullis & castel-  
lis Saxonicis longe altior origo à quibusdam adscribi-  
tur. At proculdubio habenda potius fides iis qui illis  
quæ narrant vel interfuere vel non procul abfuere: adeo-  
que ad quos incorruptior fama potuit pervenire. Is ve-  
ro est auctor annalium quos laudavimus, & porro anti-  
quus vitæ Carolinæ scriptor. Itaque nec Bardervvicum  
verosimile est mœnibus tum cinctum. Meminit enim  
ejus autor annalium anno 795. sed minimè ut urbis  
munitæ. Poëta ille diserte *nobilem vicum* indigat. Si-  
militer constat ex iisdem annalibus, tum primum Ham-  
burgi jacta fundamenta castello contra Sclavos extru-  
cto nomine *Hudbecke* aut *Hubocke*. Testantur enim an-  
no 807. ab exercitu Francico ad Albim constructum  
castel-

castellum: item anno 808. castella duo ad Albim à Ca-  
rolo condita aduersus Sclavos; anno vero 810. diserte  
inquirunt: *Castellum nomine Hobbuchi Albi flumini contiguum*  
*in quo Odo legatus Imperatoris & orientalium Saxonum erat*  
*praesidium, à VVilfis captum.* At Hochbuchi esse Hambur-  
gum praeter alios docet nos Albertus Stadensis *ad annum*  
*811. castelli tantum quoque nomine venit Hamburgum*  
auctori Annalium anno 845. Mitto alios errores. Vel  
ex eo autem liquet nullam urbem inter Visurgim & Albim  
Saxonibus tum habitatam, quoniam Carolus Episcopos  
& Bremæ & Verdæ constituit: quam utramque urbem  
moenibus tum caruisse constat. Et tamen locis tum po-  
tissimis datos Episcopos ex more & lege veteri Christiano-  
rum nullum dubium est.

XXIX. Cæterum in extruendis urbibus Germa-  
nicas gentes superarunt Venedi, illi qui circa seculum  
Christianum sextum quicquid est inter Salam & Vistu-  
lam fluvios, mare Svecicum vel Balthicum usque in Hol-  
stenios Saxones, ea tempestate habitatoribus Germanis  
vacuum, occuparunt. Hos enim jam ætate Caroli Magni  
& Vrbes & castella coluisse, suaque habuisse & Balthi-  
cum mare emporia, haud difficile est probatu ex Fran-  
cicis Annalibus, omnium antiquissimo harum rerum  
monumento. Memorant enim anno 789. *Dragaviti*  
*VVilforum trans Albim urbem: anno 808. Obotrito-*  
*rum etiam trans Albim quædam castella & urbem à*  
*Danis aut capta aut oppugnata: Rericb item nobile em-*  
*porium ad Oceanum vel potius mare Balthicum ab jis-*  
*dem destructum translatis inde negociatoribus: anno 809.*  
*Smeldingorum quandam urbem maximam ab Obotritis*  
*captam.* Hi vero populi Venedici omnes trans Albim  
vixerunt ad Varnum usque, mare Balthicum & Cimbri-

cam Chersonesum. Si vera quoque sunt quæ de VVine-  
tha Vsedomi insulæ urbe circa annum Christi 830. vel  
ab Heldungo Sueciæ rege eversâ, vel marinis fluctibus  
haustâ nonnullis ( inter quos & Chytræus Saxonix / 1. )  
narrantur, habuit jam tum & Pomeraniæ littus urbem  
*frequentiam commerciorum, magnificentiam, opibus & potentiam*  
*florentissimam.* Forte jam tum & *Iulium* famosum empo-  
rium & anno 1168. à VValdemaro I. Daniæ Rege diru-  
tum floruit.

XXX. Sed de Urbibus illis Venedicis ab ea qui-  
dem usque ætate per obscura memoria superest. Et verò  
quæ tum maximo in pretio, sequenti tempestate unâ cum  
ipsa gentis illius libertate dudum perierunt, quæ verò  
nunc potissimæ sunt famæ in omni illo trans Albim tractu,  
illæ aliquot post seculis demum sunt conditæ.

XXXI. Si verum itaque fatendum est ( exceptis  
pauculis illis Venedorum ) trans Danubium quidem &  
Rhenum, ad usque seculum Christi nonum, nulla urbs  
Germanis est habitata. Sed *Cisrhenana* Germaniæ ab eo  
usque tempore quo Gallia omnis per Iulium Cæsarem in  
provinciam est redacta, alia semper fuit conditio. Partim  
enim in ipsa Gallica Rheni ripa, partim alibi passim extru-  
cta sunt à Romanis castella plurima, conditæ quoque ur-  
bes quæ paulatim in magnitudinem insignem excreve-  
runt. De Druso Florum : *Drusus in tutelam provinciarum*  
*praesidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per*  
*Albim, per Visurgim; nam per Rheni quidem ripam quinquaginta*  
*amplius castella direxit.*

XXXII. Germanicæ autem originis populi tum  
fuerunt, non illi tantum qui ad ripam proximè, sed  
& qui remotius ab illa, Belgicæ provinciæ partem

colu-

383.  
coluerunt, quod præclare demonstravit Philippus Cluverus. Non est vero instituti mei enumerare hic omnia castella omnesque urbes in utraque Germaniæ provincia superiore & inferiore vel primâ ac secundâ, parteque Belgicæ, florentibus Romanorum rebus, ad usque seculum Christianum quintum extructa. Id operæ est pretium hic notasse, metropolitanas urbes tum audivisse Belgicæ primæ quidem Augustam Trevirorum; Germaniæ primæ Moguntiacum; Germaniæ secundæ Coloniam Agrippinensem: quæ hodieque sedes præbent tribus primarijs Germanici regni Archiepiscopis. Præter autem has tres metropoles, libellus provinciarum civitatumque Galliæ primarias urbes has recitat: Germaniæ quidem primæ, *civitatem Argentoratensium h. e. Strasburg: civitatem Nemetum, h. e. Spira: civitatem Vangionum h. e. VVormacia.* Germaniæ secundæ, *civitatem Tungr.* Vtriusque autem Germaniæ potissima procul dubio illa Agrippina fuit, quod *Romana colonia esse meruisset*, ut loquitur Tacitus. Eoque & Ammianus lib. 15. vocat eam *urbem magni nominis* l. 6. *urbem munitissimam* Zosimus lib. 1. *urbem Rheno adjacentem maximam.*

XXXIII. Itaque jam ea tempestate habuerunt Germani Cisrhenani florentissimas urbes. Fuere autem jam tum cum alibi in Galliis, tum in provincia etiam maxima Sequanorum aliæ jis haud impares. Cis Danubium item celebri fama urbes floruerunt per Rætiam, Vindeliciam, Noricum & Pannoniam. Quæ cum sequentibus seculis in Alemannorum, Bajoariorum aliorumque Germanicorum populorum potestatem devenerint, hodieque solis Germanis habitentur, Urbium Germanicarum originem quærentes nefas est latere. Eminuit autem tum inter omnes cis Danubium in Vindeliciis  
Augu-

384. Augusta colonia, non minus clarâ hodie famâ, mutatis  
hæc cultoribus.

XXXIV. Cæterum hæc florentissimæ urbes & mu-  
nitissima castella à Germanicis populis qui Rheno & Da-  
nubio transgresso in Galliam omnem, Pannoniam, Vin-  
deliciam & Noricum sese effuderunt, aut vastata sunt aut  
penitus excisa, aut certe pessimis modis mulctata. De  
Galliæ excidio in medio est querela S. Hieronymi *epist. 11.*  
*Moguntiacum nobilis quondam civitas capta atque subversa est,*  
*& in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones lon-*  
*gâ obsidione deleti. Rhemorum urbs præpotens, Ambiani,*  
*Attrebates, Morini, Tornasius, Nemetes, Argentoratus trans-*  
*latus in Germaniam.* Attingit autem ille tantum eam cla-  
dem quam circa annum quadringentesimum à Vandalis  
& confœderatis populis duce Caroco & Godegisilo passæ  
sunt Galliæ: quam tamen ludum jocumque dixeris præ  
illa tempestate, quam Attila cum omnibus fere Germa-  
nicis gentibus sibi sociatis Galliæ intulit. Et tamen de  
Caroco memoriæ proditum est ab Aimoino *l. 3. c. 1.* quæ-  
renti quomodo *magni* nomen consequi possit respondisse  
matrem: *maximis urbibus & munitionibus destructis & incolis*  
*interfectis. neque enim posse eum pulchiores firmioresque urbes*  
*condere, eoque proximum esse earum everfione belli gloriam ad*  
*posteror propagare.* Quod ille consilium haud segniter est  
exsequutus.

XXXV. Passæ autem hanc cladem ad Rhenum  
sunt potissimum maxima illa Sequanorum provincia,  
inque ea nobilissimæ urbes Vindonissa & Augusta Rau-  
racorum, ut & Germania prima vel superior, hujusque  
urbs Argentoratus. Paulò mitius Germaniam secun-  
dam & Belgicam primam alteramque Franci videntur  
tractasse: neque enim mœnibus leguntur urbes nudasse, etsi  
inco-



incolarum magnâ parte trucidatâ, etiam ipsi solitudinem  
prope ijs induxerint. Et sane eadē causa Belgicæ utriusque  
& Germaniæ primæ urbes post illam tempestatem primæ  
omnium videntur respirasse.

XXXVI. Quamvis vero devictis Alemannis,  
Burgundis & Bajoariis quicquid cis Rhenum & Danubi-  
um Germani occupaverant, in ditionem Francorum per-  
venerit, Merovingâ tamen regiâ familiâ rerum potente,  
paucæ urbium antiquarum valuerunt ex ruinis nonnihil  
resurgere, tantum abest ut pristinum splendorem recu-  
perarint, vel in majorem amplitudinem excreverint.  
Multò minus novæ quædam urbes tum constitæ. Nihil  
sane horum legas in ejus ævi monumentis. Bene Francif-  
cus Guillimannus *l. de episcop. Argentinesc. 3. In agricultu-  
ram, relicto deinceps bellandi ex parte studio conversi Aleman-  
ni Franciq; vicis incoluere, neq; quas recuperaverant urbes vel  
munimenta instaurarunt, aut ferè habit. vere; sive ne rursus  
illis, ut ante sæpius, eijcerentur à principio formidarent: aut ve-  
tere & ex Germania allatâ consuetudinē manendi in aperto. Vix  
semel legere est: Chilpericum Regem misisse ad Duces & Comi-  
tes civitatum, ut muros componerent urbium, resq; suas cum u-  
xoribus & liberis intramurorum munimenta concluderent, atq;  
repugnarent viriliter, si necessitas exigeret.* Frigidum certè  
mandatum caruit effectû, nec quis paulò nobilior temerè  
intra mœnia recessit.

XXXVII. scilicet nihil tum fuit quod incre-  
mentum daret urbibus: non immunitas incolarum;  
non commercij frequentia; non inhabitatio denique illu-  
strum hominū quorum vita profusior attrahit opificum  
aliorumque ministrantium manum. Quæ omnia diu post  
insequutis demum temporibus evenerunt. Igitur aut  
sine mœnibus inter rudera sua manserunt tum illæ Cis-

C

rhen-

386 rhenanæ & Cisdanubianæ Urbes, aut verò si mœnia anti-  
qua seruarunt, incolis destitutæ magnas solitudines com-  
prehenderunt.

XXXIIX. Paulò melior fortuna videtur eas respe-  
xisse sub Carolingis. Omnes scilicet nobiliores urbes e-  
piscopos tum acceperunt, adeoque ædibus sacris & mona-  
chorum claustris passim ornatae sunt. Mitigatus quoque  
imperij in cives pristinos rigor videtur, & pacatis magis  
Germaniæ rebus, sine dubio commercijs quoque locus  
major est apertus. Sed tamen & hanc fortunam unâ cum  
imperio Francorum, cis Danubium quidem Vngarorum,  
cis Rhenum verò Normannorum in mediam Germaniam  
foedæ & crudelissimæ incursiones turbaverunt. Quam  
rem acerbissimæ querelis ejus ævi scriptores persequun-  
tur: ex quibus constat plerasq; tum urbes iterum ferro &  
igne omne decus perdidisse.

XXXIIX. Sed Saxonorum Cæsarum imperio u-  
ti toti Germaniæ ita & urbibus nova lux affulsit. Eum  
verò statum antequam exponamus, forte operæ fuerit  
pretium paucis exponere quæ rei publicæ facies fuerit pris-  
cæ Germaniæ: quæ conditio urbium provinciarumque,  
& antiquo Romanorum & subsequenti Francorum  
imperijs florentibus. Hisce enim expositis & Urbium  
& vicorum Germaniæ vetus quidem fortuna clarissime  
elucescet, & quæ post invaluere hinc rectius poterunt  
doceri.

XL. DE REPUBLICA autem adiuos ante omnia la-  
tere nequaquam oportet, aliud esse noscere integram  
aliquam urbem, & aliud cognoscere rem publicam ali-  
cujus urbis. Quæ enim distinctio est inter cognitio-  
nem totius & cognitionem partis principalis, ea quoque  
differentia est inter notitiam integræ alicujus urbis &  
cognis

287.  
cognitionem Reipublicæ. Nam omnis civitas notat  
perfectam hominum societatem beate vivendi gratia in-  
stitutam; Respublica autem ac πολιτεία est quasi anima  
ac ratio & forma illius societatis & quidem potissimum  
circa partem imperantem aliosque magistratus ac ju-  
dicia.

XL I. Sane qui integram aliquam civitatem no-  
vit, idem non potest ignorare & statum seu formam il-  
lius societatis, hoc est, Rempublicam; at vero qui Remp.  
tantum novit, non novit omnia quæ ad civitatem per-  
tinent: quam plurima enim ad eam requiruntur, quæ  
nequaquam Reip. nomine veniunt. Primum enim  
omnis civitas constat multitudine hominum, constat  
etiam loco quodam, postulat deinde alimenta, postulat  
præterea & munimenta aliaque quamplurima, utpote  
cum non unius tantum commodi gratia sit instituta, sed  
omnem prorsus respiciat vitam. Vnde qui propositum  
sibi habet integræ alicujus civitatis naturam pernoscere,  
illi profecto ad omnia isthæc & similia est attendendum.  
At cum πολιτεία seu Resp. denotet solum constitutionem  
civilis alicujus societatis circa regimen ejus ac magistra-  
tus & judicia, manifestum est, qui horum sibi notitiam  
comparavit in aliqua civitate, illum ea quæ ad Rem-  
publicam istius civitatis attinent, omnia penitus habere  
explorata.

XL II. In Germaniæ igitur antiquam rempubl.  
inquirentibus, principio notandum, majores nostros  
propter ingenitam animorum feritatem non tantum  
nullam communem habuisse Rempublicam, sed ne  
junctas quidem sedes inter sese passos esse. quod cum  
ex alijs, tum vero omnium optime ex C. I. Casare licet

C 2

cogno-

cognoscere; ita enim ait ille VI. comment. libro: *Civitatibus maxima laus est; quam latissimis circum se vastatis finibus solitudines habere hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quenquam prope se audere consistere: simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinae incursionis timore sublato.* Quapropter in Romanorum monumentis videmus eos non cum vicinis tantum gentibus, verum etiam inter sese perpetua bella gessisse. Et certe florentibus Romani imperij rebus, nullus fuit populus magis ad bella natus, quique plus Romanis negotij faceretur, quam Germani. Et Tacitus quidem libro de moribus Germ. cap. 37. Martium illum animum his verbis prodit: *Sexcentimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caelio Metello ac Papiro Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Imp. Trajani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. tam diu Germania vincitur. Medio tam longi evi spatio multa invicem damna. non Samnis, non Pæni, non Hispanie Gallieve, ne Parthi quidem saepius admovere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas, &c.* Hæc ille. majora profecto dicturus, si fractas imperij Rom. vires Germanicis manibus conspexisset.

XLIII. Verum enim vero tam etsi non in unam Remp. tot populi potuerint conspire, unius licet originis atque ejusdem linguæ essent, singulis tamen non fuisse nullam reipublicæ formam, vero valde est simile, & ex antiquis quoque monumentis licet colligere. Sicuti enim in univ. sum nulla societas sine legibus stare potest, ita quoque populos istos feroces ut non absque societate sic nec absq; legibus & imagine quadam Reip. vivere potuisse certissimum est; licet optimam quidem reip. formam non habuerint, utpote qui rudes essent & veræ virtutis ignari.

LXIV.

389.  
XLVI. Quænam vero ea fuerit & ostendunt nobis clarissime Romanorum scripta, & vero jis etiam tacentibus ingenium & mores ipsorum eandem abunde produnt. In tanta enim animorum ferocia & fortitudine, quis dubitaverit incredibile quoque fuisse libertatis studium? Est quippe libertas finis quasi fortitudinis, omnisq; militaris rei & gloriæ mater vel nutrix. Et vero hanc ubique etiam à Romanis hostibus nostris deprædicatam legimus, atque eo quidem magis quo ægriore animo ereptam sibi eandem per Cæsares dolebant. Sufficiat unius è multis Lucani testimonium adduxisse, qui *lib. VII. hist.* sic canit:

*Libertas ultra Tanaim Rhenumq; recessit*

*Et toties nobis jugulo quesita negatur,*

*Germanum Schyticumq; bonum.*

At verò ubi libertatis cura maxima, ibi indubio non potuit non suapte sponte prodire aliquid illius reipublicæ, quam popularem vel Democraticam vulgo appellamus. Hæc enim sese præ omnibus effert civium suorum libertate: adeo ut libertatis vocabulum Regio & Oligarchico dominatui ab optimatis scriptoribus plerumque soleat opponi, & multi juxta Philosophum *6. Polit. c. 2.* in sola hac reip. forma libertatem se consequi posse arbitrentur.

XLV. Quamvis autem hæc ita sese habuerint, verisimile tamen per se statim fit, etiam silentibus imò amissis Romanorum monumentis, non potuisse meram aliquam democratiam tum temporis ullo in populo Germanico obtinere. Vbicunque enim populus rudis est, avidus tamen bellandi, sponte suâ statim abitur à pura democratix formâ, & nonnihil Aristocratici status suboritur, potestatem quamlibet majorem necessitate

XLIIX

C 3

tan-

390. tantum nobilioribus adeoque prudentioribus impone-  
nente. Itaque non potuit non commune olim fuisse om-  
nibus Germaniæ civitatibus reipublicæ formam non  
simplicem habere, sed ex populari & optimatum statu  
temperatam.

XLVI. In quibusdam vero etiam necessariò aliquid  
regium, Laconicum tamen aut Aesymneticum non po-  
tuit non commiseri. Neque enim bella administrari  
recte nisi uno imperante possunt, qui perpetuus sit necesse  
est, siquidem non multi fuerint paræ prudentiæ, bellum  
tamen perpetuo trahendum sit.

XLVII. Ad hunc vero modum Germanicos po-  
pulos rempublicam suam olim instituisse, multis testi-  
monijs veterum scriptorum aliàs ostenditur. In ipsis au-  
tem Germanicis vicis ex parte penes nobiles, ex parte pe-  
nes plebem ingenuam arbitrium fuisse reipublicæ, vel  
unus Tacitus nos docuerit. Disertè enim testatur fuisse  
*Germanis Principes qui jura per Pagos Vicosque reddiderunt.*  
Hos autem fuisse nobili stirpe natos idem prodit: *insignis,*  
*inquiens, nobilitas aut magna patrum merita principis digna-*  
*tionem etiam adolescentulis assignant.* Iuris itaque dicundi po-  
testas in singulis Germaniæ vicis penes unum aliquem fuit  
nobilem. Verum ille solus quidem jus illud haud tenuit,  
sed ex ipsâ plebe delecti nonnulli, iudicio assessores dati.  
Disertè iterum Tacitus: *centeni singulis ex plebe comites; con-*  
*silium simul & auctoritas adsunt.* Ingenuos autem hos comi-  
tes seu assessores fuisse non servili aut libertino genere  
natos, itidem nos docet Tacitus: *Liberti (inquit) non*  
*multum supra servos sunt, rarò aliquod momentum in domo, nun-*  
*quam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur.*  
*Ibi enim & super ingenuos & super nobiles ascendunt. Apud ce-*  
*teros impares libertini libertatis argumentum sunt.*

XLIIII.

**XLIIIX.** Illis verò Principibus nullum fuit jus aut tributum suis indicendi aut leges statuendi nullum item fuit belli ac pacis arbitrium nisi plebis consensu impetrato. Principum porrò illorum successio neque planè hæreditaria fuit, neque planè electitia, ætate quidem Taciti; sed ea quæ hodie in Daniâ & Poloniâ est Regum. Constituti scilicet sunt in majoribus totius populi comitijs. Clarè Tacitus: *eliguntur in iisdem conciliis & Principes.* adeoque eligendi jus non fuit penes unius alicujus pagi incolas, sed apud optimatum & delectorum ex omni plebe concilium.

**XLIX.** Verum hæc alibi rectius docentur; id hoc loco adjiciendum solummodo est, Principes illos, quos appellat Tacitus, ab antiquissimis usque temporibus Germanicè *Graven* dictos, utpote cum hæc vox judicem significet. Assessorum quoque illorum jam antiquitus receptum nomen Germanis est *Schepen / Schöppen / Schöpffen.* Quo liquet antiquissimis illis temporibus jurisdictionem in pagis & vicis fuisse penes *Graviones & Scabinos* aut delectos ex ingenuis: nullibi autem omnem eam commissam vel soli plebi, vel uni alicui præcipuæ nobilitatis.

**L.** Quæ jurisdictionis autem, eadem & meri mixtique imperij fuit ratio. Neque enim legas, vel delectos illos scabinos sine Gravione, vel sine Scabinis Gravionem in quenquam animadvertisse. Ita nec de summa reipublicæ quidquam constituere vel plebi licuit soli, vel soli Gravioni: sed ad concilium, si quid majoris rei esset constituendum, etiam ex plebe delegati unà cum Principibus convenerunt: quod expressis verbis docet Tacitus. Absque dubio tamen in omnibus his maximavis & auctoritas Principum fuit. His enim inter se  
de mi

*[Faint handwritten notes in a cursive script, likely a marginalia or commentary.]*

o-  
o-  
on  
tu  
  
id  
o-  
ri  
ffe  
m  
  
o-  
ti-  
u-  
e-  
el  
ffe  
nt.  
is,  
a-  
o-  
it  
it,  
ti.  
n-  
ni-  
re  
on  
n-  
r.  
e-  
X.

392. de minoribus rebus consulere & statuere fas, etiam incon-  
sulta plebe: de majoribus negotiis *ωεββλια* fuit; cuius quæ  
vis sit, notum prudentioribus. In iure dicundo etiam Sca-  
bini suis Gravionibus *consilium* solummodo & *auctorita-*  
*tem* addiderunt: potissima autem potestas adeo fuit Gra-  
vionum illorum, uti nulla plebis facta mentione simplici-  
ter dicat I. Cæsar comment. VI. *In pace nullus est communis*  
*magistratus: sed principes regionum atq; pagorum inter suos jus*  
*dicunt, controversiasq; minuunt.*

LI. Hæc antiquissima reipublicæ Germaniæ forma  
ut omnibus ejus populis placuit, ita & in hac Saxonia ob-  
tinuit ad usque ætatem Caroli Magni. Omnes enim pa-  
gi seu govæ (ut semigermanicâ utar voce) habuerunt fu-  
os Comites, (quomodo Graviones cœperunt dici) qui  
jura dicerent cum delectis è populo aut scabinis. Ita & in  
vicis omnibus, quorum pars urbium dignitatem post ac-  
cepit, jurisdictio Comitum fuit, simulque merum ac mix-  
tum imperium; ut tamen & in his locum aliquem suum  
plebs per delectos servaret. Cum autem tres in populos  
adeoque totidem civitates Saxonia divideretur, ne singu-  
lis quidem pacis tempore unus aliquis communis magi-  
stratus fuit, sed imminente bello, comitum aliquis prout  
virtute fuit major, in sua gente Dux creatus est, certis ter-

*Talis Dux qui*  
*fuit Widekind*  
*quem Carolus*  
*magnus cepit*  
*Rex appellatur*  
*eodem ferunt*  
*do, quo Graeci*  
*suos duces*  
*bellicos Reges*  
*salutabant, nomi-*  
*ne tantum*  
*non re ipsa saler.*

minis exercitus congregandi potestate contentus: quæ verba  
sunt VVidekindi Saxonorum scriptorum antiquissimi:  
Nec verò trium populorum communis aliquis Dux ele-  
ctus, nisi universali bello ingruente. Quo peracto (iterum ver-  
ba sunt VVidekindi) æquo iure ac lege, propria contentus po-  
testate unusquisq; vivebat. Verùm hæc testimonijs osten-  
dere alterius est instituti.  
LII. Igitur nulli tum vici, nulli pagi non sub Gra-  
vionibus fuerunt, illustri & antiquissimâ ortis profapiâ.  
Nec



393.  
Nec tamen illis libera fuit aut infinita in plebem ingenuam  
potestas; sed in ipsius jurisdictionis partem hæc venit, tan-  
tum abest ut legum, pacis & belli arbitrium ad solos Gra-  
viones pertinuerit. Hæc autem omnia uti in proclivi est  
demonstrare, ita fabulosa liquet esse quæ à nonnullis me-  
morantur de eius tempestatis republica. Quasi nempe Sa-  
xonia metropoles aliquot habuerit, easque liberrimæ po-  
testatis, nulliq; nobilium imperio subditas. Aut, quod  
alii narrant, omnem jurisdictionem cum puro ac mixto  
imperio, item arbitrium belli & pacis, tantum in Comi-  
tum vel unius Regis infinita potestate fuisse collocatum,  
plebi obsequij gloriâ tantum relictâ.

LIII. SED AB antiqua illa libera Germaniæ repu-  
blica ad eos pergendum est, qui in Romanorum impe-  
rium concesserunt. Cisrhenanis igitur Germanicis po-  
pulis postquam in Romanorum ditionem pervenerunt  
haud est dubium parum vel nihil pristinae libertatis reli-  
quum mansisse. Dura quippe provinciarum sub Ro-  
manis fuit conditio. Accipiebant enim ab ijs ma-  
gistratus suos & iudices annuos cum imperio & secu-  
ribus, qui juxta mores & præscripta Romanorum  
eos vivere cogerent, propriis ipsorum legibus & in-  
stitutis abrogatis: imò quo magis servitutem agnoscas,  
lingua non sua sed Romana uti oportuit. Civilis Batavus  
apud Tacitum *l. 4. Hist.* Treveris genti origine Germa-  
nicæ servitutem illam exprobrans, sic inquit: *Vos autem Tre-  
veri, cæteraque servientium animæ, quod pretium effusi toties  
sanguinis expectatis, nisi ingratoram militiam, immortalia tri-  
buta, & dominorum ingenia?* Scilicet tria potissimum  
fuerunt servitutis tum incommoda. Primum quod co-  
gerentur habito delectu eoque iniquissimo, Romanis  
etiam inviti militare. Alterum, quod immanibus tri-

D

butis

butis per publicanos i. e. harpyas & hirudiines attererentur. Tertium, quod herilem magistratum quotannis Româ acciperent, qui cum fascibus ac securi, abolitis patrijs legibus, jus diceret. Nec verò dubium est hanc fuisse conditionem penè totius utriusque Germaniæ. Attamen Batavis in Rheni insula ad suam usque ætatem *mansisse honorem & antiquæ societatis insigne*, prodit Tacitus: *viros tamen & arma imperio ministrarunt*, avarissimè interdum delectum exercentibus Romanis: quâ de re extat Civilis querela apud Tacitum *l. 4. Histor.*

LIV. Urbium quoque si non omnium, multarum tamen & cis Rhenum & cis Danubium haud paulò melior felicitas. Namque nonnullæ coloniarum, aliæ municipiorum jura acceperunt. Onuphrius Panuinus *l. 3. comment.* septem numerat colonias Galliæ Belgicæ: *Agrippinam Vbiorum, Augustam Rauracorum, quæ hodie sit Basilea, Augustam Trevirorum, Augustam Vlpianam Traianam, Coloniam equestrem, Coloniam Iuhonum, Lutarburgium Tarbelliorum.* Quæ omnes in Germania Cisrhenana fuerunt, si unam excipias & alteram, quanquam forte nec Iuhonum aliqua colonia fuerit, populi sc. non cis sed Transrhenani, quod rectè ostendit Cluverus *l. 3. Germ. antiq. c. 8.* Iam verò harum coloniarum Agrippinensem fuisse juris Italici scribit Paulus *l. in Lusit. §. 2. ff. de censib.* Idem porrò Onuphrius colonias Rhetiæ quinque recenset: *Augustam Quintanorum, Augustam Tiberij hodie Regineburg, Augustam Rhetorum, Coloniam Constantiam, Curiam: Vindellicorum unam Augustam Vindellicorum.* Taceo nunc Norici colonias: quam terram omnem hodiè incolunt Getmani. Alias porro nonnullas urbes fuisse municipia, vel unum hoc testimonium Ammiani Marcellini ostendit *l. 15. Prima Germania: ubi præter alia municipia*

*Mogun-*

Moguntiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus  
barbaricis cladibus nota.

395.

L V. Constat verò colonias quidem reipubl. suæ  
administratione effigiem quandam Romanæ retulisse.  
Nam ut Romæ erat populus & senatus, (verba sunt Onuphrij)  
sibi novos colonos in decuriones & plebem dividebant, decurio-  
nes senatus, plebs populi Romani imaginem referebat. Ex decu-  
rionibus singulis annis duo vel quatuor viri creabantur iuxta co-  
lonie magnitudinem vel parvitatem, qui duumviri vel quadrum-  
viri iuridicundo vocabantur. Hi consulum Romanorum speciem  
representabant. Creabantur insuper Aedilis qui viarum, edi-  
ficiorum publicorum: item Quaestor qui ararij publici curam ha-  
bebat. Atque hi erant præcipui colonie magistratus: in cæteris  
omnibus more, legibus, & institutis Romanis vivebant. Ius por-  
rò Italicum quo Agrippina olim floruit, si communi cre-  
dimus interpretationi, immunitatem tributorum dedit;  
si Cujacio l. 3. observ. c. 35. levationem censitionis: fecit au-  
tem porrò ut in reliquis eodem iure sit eius colonie respubl. quo  
ipsa Italia, puta in traditionibus nexi, in usucapionibus, in an-  
nali exceptione & in iure capiendi.

L VI. Municipiorum rationem Gellius nos docet  
l. 16. c. 3. *Municipes*, inquit, sunt cives Romani ex municipiis suo  
iure & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano  
honorarij participes, à quo munere capeffendo appellati videntur,  
nullis aliis necessitatibus, neq; ullâ populi Romani lege adstricti.  
Itaq; verosimile fit, sicut colonias Romanorum, ita mu-  
nicipia illa Germanica Germanorum mores, ritus & leges  
maximè observasse.

L VII. Cæterum & alia dura multa passæ sunt o-  
mnes illæ urbes, & illud præcipuè non potuit non esse  
acerbum, quòd perpetuo præsidio militari tenerentur.  
Scilicet & Germaniæ primæ & Germaniæ secundæ, &

D 2

Bel-

396 Belgicæ primæ metropoles sedem ac domicilium præbuerunt *Ducibus*, reliqua opida *praefectis militum*, cum valida & numerosâ militum manu. Quæ res quomodo circa Arcadij & Honorij tempora sese habuerit, exponit optimè liber vetus, cui titulus *Notitia utriusq; Imperij*, quem insigni commentario illustravit Guido Pancirollus. Quorum serinia nolumus compilare. Adeo impotens verò tandem fuit Romanorum dominatus, ut omnis libertas sublata, omnia jura tandem confusa sint.

LII. Quo factum ut provinciæ pertæ laborum scelerumque Romanorum externa novaque imperia circumspicere cœperint, præ alijs verò Francos dominos desideraverint. Testatur id Gregorius Turonensis l. 2. c. 23. *Terror Francorum resonavit in his partibus, & omnes eos amore desiderabili cupiverunt regnare.* Item cap. 36. *Mulsi tunc ex Galliis Francos dominos summo desiderio cupiebant.* Nec verò Romanorum corruptissimos mores & latrocinia quis satis mirabitur, solius si Salviani Massilensis libros de Providentia eâ tempestate scriptos inspexerit. Et vero Franci, quorum teste Eginharto *in vit. Caroli M. semper Romanis & Grecis fuerat suspecta potentia*, tandem etiam omni Romanos ditione exurunt, magnamque imperij illorum partem sibi subjecerunt.

LIX. CAETERVM nec Franci subactos à sese populos multum levioere imperio quam Romani continuerunt. Non enim verum est, quod l. de origine Saxonum scribit Reineccius: *Francos in Germanici nominis provinciis subactis imperio contentos, nulla aliare indigenis graves fuisse.* Est enim in promptu ostendere Francos more Romanorum provinciis suis per Germaniam Galliam Italiam & gravissima tributa imposuisse & magistratus dedisse, qui ex ipsorum nutu penderent, alios ordinarios, alios extraordi-

397.  
ordinem delegatos, jus quoque militem legendi ex omni in-  
genuorum numerum sibi sumpsisse. Quorum omnium  
potestas cum Regibus esset commissa, procedente tem-  
pore regalium vel regaliarum nova vox aut nova certe vo-  
cis acceptio hinc invaluit.

LX. Non est nostri instituti argumentum hoc ple-  
nius exponere, suffecerit nunc adducere in medium Ita-  
licæ gentis propriam de jure illo regio confessionem à  
Friderico I. Cæsare ijs expressam. Radevicus ejus ætatis  
scriptor l. 2. c. 5. rem illam ita narrat: *requisitique de hoc iure  
quid esset, adiudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, con-  
sulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedatica,  
molendina, piscarias, omnemque utilitatem ex decursu fluminum  
provenientem: nec de terra tantum, verum etiam de suis pro-  
priis capitibus census annui redditionem. Hisque omnibus in fiscum  
adnumeratis &c.* Guntherus l. 8. de eodem negotio in hunc  
modum canit:

*Ac primum Ligores super hoc à Rege rogati:*

*Vectigal prorsus, eudenda iura moneta,*

*Cumque molendinis telonia, flumina, pontes,*

*Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,*

*Et capitolicium certo sub tempore censum:*

*Hæc Ligores sacro tribuerunt omnia fisco.*

Ius feudale Longobardicum l. 2. t. 56. hæc loquitur: *Re-  
galie, armandie, via publica, flumina navigabilia, & ex quibus  
fiunt navigabilia, portus, riparica, vectigalia, qua vulgo dicun-  
tur telonia, moneta, multarum pœnarumque compendia, bona va-  
cantia, & quæ ut ab indignis, legibus auferuntur, nisi qua specia-  
liter quibusdam conceduntur: & bona contrahentium incestas  
nuptias, condemnatorum & proscripiorum, secundum quod in  
novis constitutionibus cavetur: angariarum, parangariarum, &  
plaustrorum & navium præstationes, & extraordinaria collatio*

D 3

ad

398. ad felicissimam regalis numinis expeditionem; potestas constitu-  
endorum magistratum ad justitiam expediendam: argentariae  
& palatia in civitatibus consuetis: piscationum redditus & salina-  
rum, & bona committentium crimen maiestatis, & dimidium  
thesauri in loco Caesaris inventi, non datâ operâ, vel loco religio-  
so: si datâ operâ, totum ad eum pertineat.

LXI. Non tantum autem hæc in Italis post devi-  
ctos Longobardos, sed & per Galliam & Germaniam in  
subditis provinciis obtinuerunt. Sanè hoc durum ju-  
gum & Alemannos cum Bajoariis, & Frisios omnes à Rhe-  
no ad Visurgim usque, & Thuringos, cisrhenanos et-  
iam Germanos omnes florenti Francorum imperio pas-  
sos, aliàs ostenditur. Scilicet sumebant sibi Franci in  
populos devictos jura victorum ex more Romano: itaque  
aut tributarios tantum eos reddiderunt, aut si plane sibi  
subjecissent, magistratus & jura etiam dederunt. Et ve-  
rò illud belli in victos jus, unicum fundamentum est re-  
galiarum quas appellant: ut nihil iniquius sit ijs, qui in o-  
mni libero principatu aut regno eas regibus conantur vin-  
dicare.

LXII. Enim verò ipsi Franci sive Orientales sive  
Occidentales ab his oneribus immunes, non eam regi-  
bus suis servitutem debuerunt. Neque enim tributum  
aut censum penderunt, sed sola annua dona regibus con-  
tulerunt, præter multæ partem. Servata sc. pristina  
consuetudine, omnibus olim Germaniæ liberis populis u-  
surpatâ, De qua Tacitus: *Mos est civitatibus ultro ac viritim  
conferre Principibus vel armentorum vel frugum, quod pro ho-  
nore acceptum etiam necessitatibus subvenit. Item: pars mul-  
tæ regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius  
exsolvitur.*

LXIII. De Saxonum sub Francis conditione, res  
vide-

399.  
Videtur explicatu impeditior. Adamus Bremensis cap. 6.  
Thuringi & Saxones, itemq; cetera quae iuxta Rhenum sunt na-  
tiones ex antiquo Francis tributaria leguntur, Quibus deinde à  
Regno eorum deficientibus, Pipinus genitor Caroli bellum intu-  
lit. Crancius l. 1. Saxon. c. 31. Lothorium regem tributum  
annuum Saxonibus imposuisse scribit quingentorum bo-  
um circa annum 572. Annales Francici ad annum 758.  
Pipinus coegit Saxones, ut promitterent se omnem voluntatem  
ejus facturos, & singulis annis honoris causa ad generalem con-  
ventum equos trecentos pro munere daturus. Sequutum dein-  
de bellum illud atrox cum Carolo Magno: ac tandem  
pax composita. Leges pacis ita memorat Eginhartus: ea  
conditione à rege proposita & ab illis subscripta, tractum per tot  
annos bellum constat esse finitum, ut abiecto demonum cultu &  
reiectis patriis ceremoniis Christianae fidei atque religionis sacra-  
menta perciperent & Francis adunati unus cum eis populus effi-  
cerentur. Quibus verbis videtur indicari Saxones in pa-  
ri cum Francis libertate relictos. Poëtafter, antiquus vi-  
tae Carolinae scriptor, paulò plenius rem exponit. Inter  
alia ita canit:

At verò censum Francorum regibus ullum  
Solvere, nec penitus deberent atq; tributum  
Cunctorum pariter statuit sententia concers,  
Sed tantum decimas divinâ lege statutas  
Offerrent, ac Praesulibus parere studerent  
Ipsorumq; simul clero, qui dogmata sacra  
Quiq; fidem Domino placitam vitamq; docerent.  
Tum sub Iudicibus quos Rex imponeret ipsis  
Legatisque suis; permitti legibus uti  
Saxones patriis & libertatis honore.  
Hoc sunt postremò societati fœdere Francis  
Ut gens & populus fieret concorditer unus:

Ac sem-

*Ac semper regi parens æqualiter uni.*  
 Faciunt huc verba nonnulla in tabulis quibus Episcopatum Bremensem instituit Carolus Magnus. Servavit nobis eas Adamus Bremensis, & qui ex scribere illum solet Albertus Stadenfis, & post utrumque Crancius. Diserte autem ait Carolus: *Saxones pristina libertati donatos & omnē nobis debito censu solutos pro amore illius qui nobis victoriam contulit ipsi tributarios addiximus, videlicet ut qui nostræ potestatis iugum hæcenus ferre detrectaverunt, victi iam Salvatori nostro Iesu Christo & sacerdotibus eius omnium suorum iumentorum & fructuum, totiusq; cultura decimas, & nutrituræ divites ac pauperes legaliter constricti persolvant.* Pertinet huc & illud antiqui scriptoris de vitis Romanorum Pontificum, qui vulgo Luitprandus creditur, in vita Hadriani secundi: *Karolus omnes decimas, ait, in Saxonia constituerat ad regale servitium, & eas rex dare potuit cui voluit.*

LXIV. Ex his verò constat, tametsi Saxones initio penderint tributum Francis, more aliarum gentium victarum, illo tamen onere à Carolo liberatos, pristinaque libertati hæcenus restitutos, nisi quod decimas solverere tenerentur cultui divino. Constat porrò magistratum collationem Regem sibi sumpsisse. Quod sc. ante penes totius populi concilium fuit, id imposterum Regio arbitratui est commissum. Fuit autem tum duplex magistratus, alius nempe Ecclesiasticus in Episcopis circa sacra & cultum religiosum occupatus: alius civilis, uti vocant, isq; vicissim vel status vel extra ordinem missus. Et status quidem *Judicum*, alter *Legatorum*. Quorum nominum illo quidem *Graviones* qui tum Latinum nomen ex more Romanæ reipubl. acceperant *Comitum*, hoc verò significari eos qui alias Francis *missi* audiunt, benè notat doctissimus Reineccius. Quæ iurisdic-



risdictionis ratio in ipso Francorum libero populi fuit. 901.  
Ut proinde recte queat dici, concessisse Saxones in ean-  
dem cum Francis civitatem, *aquali* libertate gaudentes:  
eoque illorum conditionem longe meliorem mansisse  
quam reliquis provincijs.

LXV. Si hic autem fuit status Saxoniae sub Ca-  
rolo, non potest non falsum esse quod legitur in vita Lu-  
dovici Pij à P. Pithœo edita, utut eadem verba recitet  
Aimoinus l. 5. c. 10. *Quo etiam tempore Saxonibus atque Fri-  
sonibus jus paternæ hereditatis quod sub patre (Carolo M.) ob  
perfidiam legaliter perdididerant, Imperatoriâ clementiâ restituit.  
Quod alij liberalitati, alij imprudentiâ assignabant, eò quod hæ-  
gentes naturali libertati assuefactæ talibus habenis deberent co-  
erceri, ne sc. effrenes in perduellionis procacitatem ferrentur. Im-  
perator verò (Ludovicus) eò sibi arctius eos vinciri ratus quo  
eis beneficia potiora largiretur, non est spe sua deceptus. Nam post  
hac easdem gentes semper sibi devotissimas habuit. At jure pa-  
ternæ hereditatis soli servi carent. Saxones autem o-  
mnes nunquam sunt in servitutem redacti. Sed & Frisijs  
libertatem relictam constat ex ordinibus Adelingo-  
rum, ingenuorum, licitorum & servorum, qui in eorum  
legibus antiquis disertè memorantur. Ut taceam illos  
omnes nequidem armis unquam victos à Francis, sed  
qui trans Flevum sunt, sponte sua post devictum Rad-  
bodum in Francorum ditionem concessisse, quod le-  
gitur in vita S. Ludgeris certè Carolo vivo perfidiæ nun-  
quam notati: quare si antiquæ famæ credendum, re-  
rum cum fide & virtute gestarum præmium avitam ex  
parte libertatem recuperarunt. An Saxoniae Frisiæque  
Gravionibus concessatum à Ludovico hereditaria  
quasi successio imperito scriptori minus recte intellecta  
fuit? Quicquid sit, ne illud quidem quod VVidekin-*

E

us

902. describit *l. 1. S. Viti patreinto per Henricum & Ottonem magnum Saxoniam ex servâ factam liberam, & ex tributaria multa ungentium dominam* ita accipiendum, quasi Francis illa haecenus servierit & tributaria fuerit. Ad Ungarorum enim & Normanorum dominatum illa trahenda, à quo liberata per Henricum & Ottonem Saxonia, quam & alijs abunde opibus fecerunt affluere.

LXVI. Pari verò modo liquet alienius esse à vero id quod alij narrant in plebis Saxonicae tum potestate fuisse situm, ex *Adelungis* aut praecipua nobilitate magistratum sibi creare si quem vellet, eamque libertatem etiam à Carolo relictam. Neque enim legas penes plebem liberissimis Germaniae rebus hanc fuisse potestatem: Namque audivimus magistratum inferiorum creationem sui juris fecisse Carolum. Nunc adducam plebeiae illius electionis in omnibus praeiis monumentis nec volam reperiri nec vestigium.

LXVII. Enim verò non minus id dictum absolum est, atque illud quod de Hollandiae Comitibus nonnulli viri insignes memorant, eos ab ordinibus illius provinciae primum libera propriaque auctoritate creatos. Atqui constat Hollandiam unam & Selandiam exiguas tum habitas Frisiae portiones. Diserte Regino Godfridum Danorum regem testatur *anno 881*, cum innumerabili multitudine equitum peditumque insidere coepisse locum prope Mosam *Hassou* tunc dictum. Illi autem à Caesare Carolo Crasso Ducatum Frisiae concessum feudi jure possidendum, statim sequente anno. Mox idem scrip. or. anno 884. ita loquitur: *Normanni qui in Chinheim & Denemarcam venerant adficiente Gothofredo Rhenum navigio ascendunt.* Est autem Chinheim pars hodie Hollandici

landici comitatus, *Denemarca* autem nomine nihil intel-  
ligi potest præter Hollandiam & Selandiam, à Danis sc.  
novis incolis nominibus tunc Danicis appellatas. Igitur  
tàm quidem certe Hollandia Zelandiaque Ducem Gotho-  
fredum accepit à Francorum Rege. Eiusdem auctorita-  
te Gothofredo successit fortè Eberhardus Saxo, & huic  
frater Meginhardus anno 898. teste Reginone. Ex quo  
etiam videre est Ducibus illis subjectos fuisse illius provin-  
ciæ Comites, ut Gothofredo Dano Gerolphum & Ger-  
dolpium & Eberhardum Saxonum post à V Valgario Ge-  
rolphi filio interfectum. Incidunt autem hæc tempora  
in extrema Francici imperij.

LXIIIX. SED de his obiter. Qui verò provincia-  
rum in universum, idem & Urbium & Vicorum flo-  
rente Francorum imperio fuit status. Certè non in co-  
dice legum Franciarum, non in alijs ejus ævi monu-  
mentis observare est, meliorem fuisse conditionem ur-  
bes aut nobiliores vicos præ alijs in agro viventibus. Pri-  
mò enim incolæ urbium fisco regio penderunt vectiga-  
lia & tributa. Monetarum quoque cudendarum jus &  
molendinorum, telonia, portus, pontes atque similia  
omnia non in urbibus minus quam alibi per omnem  
Germaniam ad regium fiscum pertinuerunt. Neque ve-  
rò horum quidquam in urbibus illis (Carolo certè ma-  
gno ejusque filio Ludovico imperantibus) temere le-  
gas in subditorum aut nobilium aut plebeiij ordinis fu-  
isse peculio. Ex adverso perspicere est sequentis demum  
seculis Regum largitionibus in variorum potestatem  
hæc devenisse. His certè oneribus eâ ætate obnoxias  
fuisse Vrbes ad Rhenum & Danubium, passim docet  
Lehmannus vir horum peritissimus. Auctor etiam Chro-  
nici Coloniensis, jam olim ex nescio quibus Prumi-

ensis cœnobij annalibus annotavit p. 97. & 137. à Clodovæi usque ætate ad Ottonem Magnum Agrippinenses tributum regibus Francorum solvisse.

LXIX. Sacra porrò omnia jura administrata tum fuisse per Episcopos non in Urbibus minus quam alibi, nihil est notius. Sed & meri ac mixti imperij, quod vocant, vis penes *Comites* fuit aut *missos* à regibus constitutos. Gregorius Turonens. l. 6. *histor. Fran. c. 22. Rex Chilpericus in civitatibus novos Comites ordinat, & cuncta sibi jubet urbium tributa deferri.* Idem diserte variorum Comitum urbibus Gallicis præfectorum meminit l. 9. c. 5. l. 5. c. 48. alibi. In capitulis Caroli magni l. 2. 6. 25. sit mentio Comitum Vefantij, Moguntia, Trevirorum, Colonia aliorumque, qui una cum episcopis illorum locorum fungi debeant munere *missorum* regionum. Per Comites autem & *missos* illos jura tunc dicta populo, argumentis ostendere facillimum est. Scilicet tametsi in omnibus pene urbibus Episcopi considerent, juris tamen dictio non illorum sed Comitum fuit & Missorum qui regiâ auctoritate præerant. Neque vero inter urbium administrationem & agri, ratione jurisdictionis in omnibus ejus ætatis monumentis quidquam est reperire discriminis.

LXX. Quum verò præter urbes, vici, vella tunc fuerint & palatia regia, horum feliciorum fuisse conditionem, nemini fiet facile probabile. Caterum usque ad Saxonum etiam imperium paucissimi vici per omnem Germaniam muniri coeperunt. Certè quæ potissimâ tunc fama fuit & auctoritate in Saxonibus Brema, ætate Caroli *villa publica* audiit nomine, ut patet ex fragmentis tabularum Carolinarum apud Adamum Bremensem cap. 15. nec muro cingi coepit ante Normannicam tempestas

pestatem circa annum 990. eodem teste *cap, 75.* Etiam hanc  
verò non nisi diu post Comitum potestate liberatam infra  
patebit.

LXXI. Hac verò occasione non possumus non in-  
cos animadvertere, qui urbium Saxonicarum nescio  
quam libertatem jam inde à Carolo Magno arcessere co-  
nantur. Manifesto autem eos errore implicari, haud  
difficile forte est probatu. Ajunt enim Carolum M.  
quibusdam Saxoniae Urbibus statuum Rolandinam in si-  
gnum libertatis dedisse, quod nimirum ab eo jussu Caro-  
li liberam judiciorum potestatem accepissent. Ast ex  
superioribus constat, tum temporis nullam adhuc urbem  
præter Cistrhenanas in Germania fuisse. Certè nullius  
inferioris Saxoniae urbis in historia Caroli M. fit mentio:  
quod tamen haud dubie scriptores, utpote rem notatu  
dignam, tam sicco pede non præteriissent. Imò duas  
tantum arces, ut supra etiam est dictum, in Germania  
Transrhenana & quidem in Westphalia obsedisse legi-  
tur Carolus Magnus; quod si autem plures tum temporis  
extractæ fuissent, profecto non ita occupare Saxoniam  
potuisset: quippe cum libertatis suæ Saxones fuerint  
tenacissimi. Quid? quod Eginhartus *in vit. Caroli M.*  
inter alias causas belli Saxonici etiam hanc referat, quod  
termini Francorum & Saxonum pene ubique in plano  
essent contigui, præter pauca loca in quibus vel sylvæ  
maiores, vel montium juga interjecta utrorumque a-  
groscerto limite determinarent, eoque in ijs cædes & ra-  
pinas & incendia fieri non cessasse.

LXXII. Taceo Rolando duce Carolum in expu-  
gnandi Saxonibus usum, nullis præcis monumentis  
referri. & omninò stultum videri ducis statuum erectam

406 in occupatis urbibus à victore Rege. Quin imò Ru-  
landi colossos demum post annum millesimum &  
quod excurrit erectos, nec non omnes urbes quæ illos  
ostendunt, post tempora Caroli M. primum esse ex-  
structas, monumenta historica pervolventi non potest  
esse obscurum. Denique cum eæ urbes quæ tempo-  
re Caroli magni ad Rhenum fuere florentissimæ nul-  
lam habuerint juris dictionem, multò minus obscu-  
ros quosdam in Saxoniâ vicis libertatem accepisse ve-  
ro valde est simile. Quare cum tota hæc assertio fabu-  
læ quàm veritati similior esse videatur, non est quod  
eam pluribus refutando operam ludamus: interim si  
quid ea veritati habet consentaneum, videtur id re-  
ctissime omnium à Goldasto *Tractatu de immunitat. &*  
*privileg. Reip. Magd.* hætenus non edito esse observa-  
tum: nimirum omnia quidem illa quæ de duce Rolan-  
do Caroli M. ex sorore nepote commentantur historio-  
graphi, quasi ejus ope & consilio pleraque in Saxonia  
gesserit, & quæ sunt hujus generis alia, esse mere fictitia  
& nulla prorsus fide historica niti; *attamen certum*, inquit,  
*Rulandi nomen non esse proprium aliquod, sed appellativum, quasi*  
*dicas Rûgeland; compositum nimirum ex vocabulo Rûgen*  
*quod est veteri idiomate Germanico, causam suam proponere, &*  
*diligenter ponderatis cuiusque litigantium partis augmentis*  
*sententiam pronuntiare, & territorio seu districtu: ut ita stiva*  
*Rolandina significet signum per quod notatur ibi esse forum publi-*  
*cum causarum, iurisdictionem, locum iustitiæ, territorium, seu*  
*ut suo idiomate Germani vocarunt, Mallum publicum ein Mahls-*  
*stadt da man frey Kayserslich Gericht helt.* Hæc ille. Cujus  
rei indicia adhuc hodieque in urbibus nonnullis licet  
animadvertere. Id scilicet certum colossos illos consti-  
tutos in signum liberæ jurisdictionis: accedente fabulæ  
Carolo

907  
Carolo Magno illam profectam: præ rerum veterum imperitia haud distinguente vulgo libertatem à Carolo concessam, ab ea quæ post demum nata est. Vt illa ætas fabulis obnoxia fuit. Crancius *l. 20. c. 2.* narrat Hamburgenses à Carolo IV. Holsatiæ Comitibus parere iussos *Rolandi statuam quam pro signo libertatis olim erectam habuerant dejecisse*. Visuntur autem hodie ejusmodi colossi alij & in Marchia alter Kinspergæ alter Prinslaviæ: ne quis solis Saxonice urbibus eos tribuat.

LXXIII. Igitur ut revertamur in viam, Francorum tempestate omnis urbs omnisque vicus jura à Comitibus aut Legatis regijs acceperunt: & verò Duces si qui fuerunt Comitum illa potestate sunt usi. Neque enim nomen Ducis aut Comitis ut hodie alicujus familiaris sive dignitatis, sed officij olim nomen fuit: uti nunc aliquem Marschallum aut judicem provincialem appellitamus. Magna autem potestate Comites illi præditi fuerunt, quippe cum nomine Imperatoris & Imperij jus belli atque pacis habuerint, & flagitante necessitate in aciem cives eduxerint, adeoque ipsum Imperatorem in urbibus repræsentarint. Negat quidem autor de Præfecturis, eos olim habuisse jus gubernandæ Reipublicæ; sed fallitur: nam ipse *Lehm. l. 4. Chronic. Spirens.* cogitur id fateri, & ratio est manifesta: quippe cum olim præfecti fuerint præcipui magistratus, omninò eisdem regimen habuisse necessum est: utpote cum id maxime proprij magistratum constituat, ut recte dicit Aristoteles *4. Pol. cap. 15.*

LXXIV. Nec tamen vel tum ab omni jurisdictione exclusa plebs fuit, sed ex suo ordine judicio *Scabinos* dedit septem, plures. Quorum eligendorum jus penes Legatos regiois fuit, ex parte tamen & penes populum

903  
pulum cum Comite. Nec electi ad id munus nisi meliores & in plebe potissimi. Eâ de re in medio hodieque sunt leges variæ ipsius Caroli Magni & Ludovici Pij in Capitulis Ansegisi l. 3 c. 33. *Missi nostri scabinos per singula loca eligant, & eorum nomina quando reversi fuerint, secum scripta deferant cap. 56. ut iudices, advocati, scabini, quales meliores invenire possunt, & Deum timentes constituentur ad sua ministeria exercenda. Cum Comite & populo eligantur mansueti & boni Capit. Addit. IV. c. 73. Missi nostri, ubicunque malos scabinos inveniunt, eijciant, & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, & cum electi fuerint jurare faciant, ut scienter iniuste judicare non debeant. Ibidem cap. 74: Ut in omni comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri possunt eligantur à missis nostris, ad inquisitiones faciendas & rei veritatem dicendam, & adiutores Comitum sint ad justitias faciendas. Item cap. 75. Volumus ut quicunque de Scabinis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam vel inimicitiam injuste judicasse, ut per fidejussores missus ad presentiam nostram veniat. De cetero omnibus Scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam justum iudicium vendere presumat. Quæ tria ultima capitula inserta quoque sunt Legi Longobardorum libr. 2. tit. 41. Sed de Scabinis satis.*

LXXV. Quoniam autem omnis civitas est societas quædam maxima, & verò præter hanc jurisdictionem etiam alia varia est civium communio, quæ sine rectore institui non potest, absque dubio omnibus urbibus jam tum sui Burgimagistri fuerunt, dirigendis scilicet negotijs civilibus, minoris quantumvis momenti. Neque enim probabile sit Consularis hujus regiminis originem Henrico Vto Cæsare primum coepisse. Ipsa enim societatis natura aliud exigit: eoque videmus vicis minimis ex antiqua consuetudine hodie suos esse magi-



magistros. *909.* Atque hæc urbium Germanicarum usque ad tempora Saxonum & Sueviorum Imperatorum ferè fuit conditio.

LXXVI. Hisce vero constitutis nemini jam non liquet, etiam hac tempestate urbes fuisse admodum raras, earumque summam reipubl. in Ducum Comitumque non nisi vicariâ fuisse potestate, arbitrio potissimo penes Reges constituto. Nec Episcopos tum, ut alibi ita etiam in urbibus, ubi sedes suas locaverant, præter sacra curam civilium rerum habuisse. Nondum verò ullam tum urbem libera populi potestate fuisse gubernatam. Vnde & id consuetarium est, tum temporis ratione regiminis quidem nullum fuisse inter urbes discrimen, quod nempe alia Imperiales aut Regiæ, alia Provinciales audiverint: utpote quum omnibus æquali ratione sui magistratus fuerint per Reges præfecti.

LXXVII. CAETERVM in sequentibus temporibus omnia hæc magnum vicissitudinem passa sunt. Vicinim, villæ, castra, imò loca inculta hæctenus passim iurbium dignitatem acceperunt, atq; eâ quidem frequentia ut urbium numero contendere hodie Germania possit cum omnibus regionibus quaquâ versum patet Europa. Inter quas nonnullæ & civium copiâ quam maximè abundant, naturâ atque arte penè insuperabiles, splendore ædium opibusque prorsus stupendæ. Respublica etiam immane quantum mutata parum retinet antiquæ consuetudinis, nec ipsa uniusmodi, sed quam maximè varia. Quæ omnia quibus initiis quâve de causâ contigerint nunc dicendum. Ac principio quidem differendum, quibus causis impulsæ Germani tot urbes extruxerint, curve parentibus campis relictis contra morem avitum intra mœnia sese tanto numero abdiderint,

F

nec

nec non quid urbes ad eam opulentiam evexerit. His præmissis autem ad rem publicam accedemus.

LXXIIIX. Prisci Germani nulla opum cupidine, nullo luxu, rudi tecti vellere, & cibo simplice, lacte, cafeo, agrestibus pomis, recenti fera contenti, vitam omnem in studiis rei militaris transegerunt. Eoque commodius tunc fuit discretis ac dispersis ædibus habitare, ut fons aliquis, ut campus, ut nemus maximo poterat usus esse, quod ita nihil possent suæ desiderare beatitati. Nec peregrinæ mercaturæ ergò tum locus, vilia tantùm & obvia petentibus, & nullo opum honore; opificia verò penè omnia exulerunt, luxuriæ scilicet & mollis vitæ instrumenta. At postquam vestis elegantior & lautior cibus & domus splendidior, mutatis Romanâ consuetudine moribus, paulatim cœpit allubescere, crevit necessariò artificum copia, & mercatura ad externos extensa est. Hinc opum cupido, & rationes variæ excogitatae faciendi nummi, unde tandem non elegans amplius vita sed luxuriosa in pretio. Eadem verò causa & priscum habitandi modum non potuit non flectere. Mollior enim vita exigit in proximo plures qui aut operam præstent aut rem subministrent. Idem quietis studium & mœniis iussit oppida cingere, turum & exiguo quantumvis muro securum adversus magnam etiam latrocinantium hostium vim refugium. Quæstui enim intentis & quieti deditis nihil adversius quam semper in armis, in excubiis stare, aut si quiescas prædonum hostiumque lubricini fortunam omnem exponere.

LXXIIX. Igitur à bellis ac raptibus in otium ac quietem conversis studiis, cur habitandi ratio è priscis moribus adeo prompta populi Principumque voluntate discesserit, nihil admiratione dignum habet. Ist hæc au-

tem

tem mira animorum mutatio ferè cum abjecto dæmō-  
num cultu cœpit, ad lenissimi Salvatoris exemplum miti-  
gata non nihil priscâ feritate. Cujus sanctæ quietis occasi-  
one, mox ad opum cupidinem & luxuriam præcipiti quo-  
dam gradu transitum est. Quibus cum & populus & Prin-  
cipes se dederent, pari studio urbibus exstruendis insuda-  
runt; quod nec Principibus liceret splendidè vivere, nisi  
urbium opidorumq; auxilio, nec populo facile sit, aliter  
secure quæstum facere.

LXXX. Et numerum quidem urbium auxit indu-  
bie ingens Principum per Germaniam numerus pene cum  
regiâ potestate, post attritam Cæsarum majestatem, suis  
imperantium : fere singulis familijs sibi urbes struenti-  
bus, accenso æmulationis studio & cupidine quadam  
mollioris vitæ ac regij fastûs. Nec verò structæ tantùm à  
Principibus urbes, sed & ad eas in habitandas multis pro-  
positis immunitatibus invitatus undique populus. Un-  
de plebi factâ per varia opificia & mercaturam ad opes  
pervenienti haud adeò difficili viâ, & ipsa relicto aratro  
in urbes immenso numero commigravit. Quæ res agris  
quidem solitudinem pene induxit; ut tamen & hoc ipso  
nonnullibi agrestium superstitem lucro haud parum  
acceserit, his scilicet paucis in plurimum rura succedenti-  
bus.

LXXXI. Auxit verò hoc plebis studium indu-  
biè innumera libertorum copia, quæ post annum Chri-  
sti nongentesimum succrevit, omnibus pene servis per  
universam Germaniam ex pietatis fervore emancipatis.  
Quibus cum proprij agri nihil, adeoque ruri quidem  
non nisi durissimo servitio victus poterat parari, cum in  
urbibus per opificia aliaque ministeria facilior esset vitæ  
tolerandæ ratio, quin & ad divitias pateret aditus, ple-

rique illorum agris relictis, urbes incolere cœperunt. Unde urbibus magna accessit incolarum frequentia. Nec tamen Lehmanni sententiam *lib. 2. c. 19.* facimus nostram quasi olim nulli ingenui vel me caturæ sedederint, vel opificijs. Præterquam enim quod id ipsum nullo argumento, nullo testimonio probet, cui fiet verosimile etiam pauperes ingenuos nulli unquam operam suam locasse, aut honestâ ratione quæstum fecisse?

LXXXII. Cæterum causæ quidem ejus urbium per Germaniam copiæ, hæferè sunt. Primus autem præ alijs strudendis ijs operam dedit Henricus I. rex quem Aupem nuncupant: varè Theseus Germanicus. Ut enim ille Athenienses, ita hic Saxones certè, si non & alios Germanos, ex agro in urbes compulit. Urgentibus scilicet institutum Vngarorum immanibus irruptionibus, quò tutus daretur miseris receptus. Eam rem his verbis persequitur *rer. Saxon. l. 1.* Videkindus Corbejensis: *Henricus rex recepta pace ab Vngaris ad novem annos, quantâ prudentiâ vigilaverit in munienda patria & in expugnando barbaras nationes, supra nostram est virtutem edicere. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens in urbibus habitare fecit, ut cæteris confamiliaribus suis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet servaretq;, cæteri verò octo seminarent & meterent, frugesque colligerent nono, & suis eas locis roconderent. Concilia & omnes conventus atque convivias in urbibus voluit celebrari. In quibus extruendis die noctuque operam dabant, quatenus in pace discerent, quod contra hostes in necessitate facere debuissent. Vilia aut nulla extra urbes fuere mœnia. Eadem de re Sigebertus Gemblacensis ad annum 925: Rex Henricus agrarios usilites recensens, ut octo eorum in agris; nonus vero in urbe moraretur: & octo in agris & nono laborarent: nonus verò in urbe tertiam partem*

partem omnium frugum illorum reservaret in adibus à se ad hoc  
extructis, ut in bello nihil aliarum rerum decisset urbesque rebus  
& vini plena essent. 913.

LXXXIII. Igitur ex Henrici instituto nonus quis-  
que ingenuus in urbem concessit. Soli scilicet ingenui  
eâ tempestate militabant. Atque omnibus his victus ex  
agro allatus est, nullo suo labore. Quod ad robur urbi-  
um fecit plurimum. Sicut & illud juvit incrementum ea-  
rum haud leviter, quod omnis conventus & convivium pu-  
blica non nisi in urbibus celebrata. Hinc enim & quæstui  
urbium & dignitati consultum est. Extant hodieq; vete-  
ris ejus instituti nonnulla in Saxonice urbibus indicia.  
Potioribus enim & antiquioribus civibus ab agro manent  
cognomenta, unde primum in urbem commigrarunt.  
Nundinæ quoque publicæ haud alibi temere quam in ur-  
bibus exercitæ. Est & ubi hodieq; nuptialia convivium non  
nisi in urbibus celebrent agrestes.

LXXXIV. Multas urbes nominatim recenset Dith-  
marus Mersburgensis l. 7. ab Henrico extructas, interque  
eas Misnam, Quedelenburgum & Mersburgum. Patris ve-  
rò exemplum secutus Otto, & ipse haud paucas condidit,  
quarum præcipua Magdeburgum: locum tamen jam diu  
ante, nullis licet mœnibus commerciis celebrem, ceu li-  
quet ex l. 2. capitular. Carolin.

LXXXV. Non patitur institutum nostrum urbi-  
um omnium originem exponere: id omnino monen-  
dum, rarum per Germaniam & non nisi viliorum fuisse  
commerciorum usum usque ad annum à nato Servatore  
præter propter post millesimum centesimum. Vnde for-  
tuna urbium in aperto est, ceu quæ mercaturæ magnam  
opum partem debeant. Hactenus scilicet paucæ peregri-  
næ merces & vix aliunde quam ex Italiâ, Oceano omni

419. Normannorum piratica infesto, & aliàs Germanicis navigiis penè ignoto. Et verò ipsum quoque Balthicum mare circa annum 1160. post excisos Venedos Saxonibus novis accolis per commercia demum patuit. Quos tamen Venedorum, Danorum, Sueonum aliorumque quibus jam antiquitus magnus fuit in mari illo mercaturæ rei que nauticæ usus, exemplum dubio procul incitavit.

LXXXVI. Enim vero jam supra audivimus Caroli magni ætate à Gothofredo Dano Rerich Sclavorum nobile emporium fuisse deletum. Adamus Bremensis qui Henrico I. Cæsare vixit, cap. 208: *Ex portu Slesvicensi naves emitti solent in Slavoniam, vel in Suediam, vel ad Semland & usque in Graciam.* Venit autem illi Græciæ nomine Russia, ut Semlandiæ Prussia, ceu liquet ex cap. 66. Idem cap. 214. *Sconiam Dania insulam, ait, opulentam esse frugibus & mercibus divitem* Cap. 218. *Affermant Dani longitudinem huius Ponti (Balthici) sæpe à pluribus expertam, secundo flatu per mensem aliquos à Dania pervenisse in Ostrogard Russia.* Cap. 223: *Holms insula celeberrimus Dania portus & fida statio navium quæ à barbaris in Sueciam dirigi solent.* Idem cap. 227. narrat, à Prussis petitum solitas pelles pretiosas, nulla facta mentione succini, quod merito mireris, nisi illud eâ ætate haud edeo magno in pretio fuerit. Idem porrò cap. 48. describens Birkam Ostrogothorum urbem, addit: *Ad quam stationem, quæ tutissima est in maritimis Sueonie regionibus, solent Danorum, Nordmannorum, Slavorum, atque Semborum aliq, Scythia populi pro diversis commerciorum necessitatibus solenniter convenire.* Cum primis verò memoranda sunt quæ de Iulino emporio Venedico ille memorat cap. 66. *In Oderæ, inquit, ostio, quæ Scythicas alluit paludes, nobilissima civitas Iulinum, celeberrimam barbaris & Suecis qui in civitate sunt, præstat stationem. Est sanè maxima omnium*

omnium quas Europa claudit civitatum, quam incolunt Slavicum  
alijs gentibus Grecis & barbaris. Nam & advena Saxones pa-  
rem cohabitandi legem acceperunt, si tamen Christianitatis titu-  
lum ibi commorantes mutaverint. Vrbs illa mercibus omnium  
septentrionalium locuples, nihil non habet jucundi aut rari &c.  
Iisdem verò porro verbis Vinnetam urbem describit Hel-  
moldus l. 1. c. 2. histor. Slavic. ut solet ille Adamum exscri-  
bere: quare fortassis non alia urbs est Vinneta quæ non-  
nullis memoratur, à Iulino; corrupto sc. tantum à libra-  
riis vocabulo. Quicquid verò hujus sit, fuit nobile illud  
emporium jam Helmoldi ætate à Danorum rege funditus  
destructum.

L. XXXVII. Ex omnibus autem his discere est Se-  
ptentrionalibus populis maris Balthici accolis jam tum  
seculo undecimo Christiano satis magnum fuisse mer-  
caturæ rei que nauticæ usum, antequam in Venedorum  
sedes à Saxonibus est penetratum. Sequenti seculo ac-  
cessisse videtur halecum ad Sconiam celebris & opulen-  
ta piscatio. Hujus enim non meminit Adamus qui dili-  
genter satis Danica est persecutus: & Arnoldus Lube-  
censis quem constat initio tertij decimi seculi floruisse,  
hinc maximas Daniæ divitiarum arcessit l. 3. c. 5. Dani, inquit,  
cum olim formam nautarum in vestitu habuissent propter navi-  
um consuetudinem, quia maritima inhabitant, nunc non solum  
scharlatico variogrisio, sed etiam purpura & bysso induuntur.  
Omnibus enim divitiis abundant, propter piscationem que quo-  
tannis in Sconia exercetur: ad quam omnium circumquaq; natio-  
num negotiatores properantes, aurum & argentum & cetera  
quaq; pretiosa illuc deferunt, & comparatis halecibus eorum, que  
illi gratis ex divina habent largitate: quasi pro vili quodam com-  
mercio suo optima, nonnunquam etiam se ipsos, naufragando re-  
linquunt. Eandem Sconia felicitatem more suo extol-

lit

416. lit Saxo Scandicus, gloriosus Danicarum rerum præco.  
Notatum verò alijs hanc halecum piscationem ex Sconia  
in Norvvegiæ & inde in Angliæ & Scotiæ littora, nescio  
qua occultâ sive fati sive aliarum rerum vicissitudine trans-  
latam.

LXXIIIX. Quamvis verò antiqua adeò sit ad  
Balthicum mare navigatio, non ea tamen fortuna fuit  
Oceani littora habitantium. Enim vero jam multis an-  
tè seculis per Oceanum piraticâ nobiles Chauci, qui  
post Saxonum nomine majorem sibi famam compara-  
runt. Eos Germaniam inferiorem levibus naviis incur-  
sasse scribit Tacitus *l. II. annal.* Saxonum Francorumque  
piraticam tertio quartoque seculo frequenter memorant  
Romanorum ejus ævi scripta: quæ nunc adducere ni-  
hil attinet. Sed hi piratæ Saxones cum Anglis viden-  
tur universi in Britanniam migrasse. Neque enim post  
illa rem nauticam Saxonum qui in Germania remanse-  
runt temere quis laudari observaverit. Ne Franci qui-  
dem postea classe valuerunt. Tantùm de Carolo Magno  
Eginhartus: *molitus est & classem contra Nordmannos, adifi-  
catus ad hoc navibus juxta flumina, quæ & de Gallia & Germa-  
nia septentrionalem influunt Oceanum.* Annales Francici sta-  
tionem suam habuisse classem hanc ad Bononiam Galli-  
cam, ipsis navibus circa Gandam ad Scaldim constructis  
texantur ad *annum 811.* Veeùm post Carolum nullius extat  
Francicæ classis memoria Normannis aut alijs piratis op-  
positæ.

LXXXIX. Ne de Frisiorum quidem aut Batavo-  
rum nauticis per illa tempora studiis quidquam legas.  
Diu post tamen Henrico III. Cæsare Frisios nonnullos  
instructo navigio Orcades Islandiamque lustrasse, quin i-  
mo in extrema septentrionis ad glaciale usque mare pe-  
netrasse,



917.  
netrasse, testis est Adamus Bremensis *cap. 247.* Hoc Fri-  
siorum nomine Hollandos intelligi suspicatur Marcus  
Zuerius Boxhornius, *apologia quam pro navigationibus Hol-  
landorum* edidit: sed Frisios orientales illos fuisse rectius  
collegeris argumento ex ipsa Adami historiâ sumpto,  
quod nempe illi reduces statim Archiepiscopum Bre-  
mensensem convenerint, & *Sancto VVillehado reversionis &  
salutis suæ hostias immolarint.* Hollandi enim aut VVest-  
frisij Trajectinum potius Episcopum petissent votis S.  
VVillebrordo solutis: utpote cum VVillebrordus VVest-  
frisij, VVillehadus Ostfrisij patrocinari præcipuè credi-  
tum sit. Sed idem Boxhornius simili mox errore lau-  
dem insignis de Normannis partæ victoriæ jisdem Orien-  
talibus Frisij ereptam Hollandis adscribit. Eam histo-  
riam fide Bononis Corbejensis recitat Adamus *cap. 33.*  
Appulisse sc. Normannos ad Frisiæ quendam pagum in  
remotis ac mari magno vicinis locis situm Nordvvide  
dictum, ibique præsentem S. Remberto à Frisij cæsa hosti-  
um decem millia trecentos septuaginta septem. Quis  
verò crediderit Rembertum Bremensem Episcopum per  
dioccesin Trajectinam oberrasse neglectâ credita sibi  
provinciâ? malâ fide autem pro *Nordvvide* Boxhornius  
*Nordvvicum* substituit: certè contra fidem exemplarium.  
Omnino autem significari *Nordam* Frisiorum orienta-  
lium hodiè opidum, patet ex historia Archiepiscopo-  
rum Bremensium auctoris anonymi, cura Erpoldi Lin-  
denbrogij editâ: ubi in vita S. Remberti disertè legitur  
vox *Norden*, quem pagum Bremensis dioceseos jam  
olim fuisse habetur in *scholiis antiquis ad Adamum*, portu  
verò insigni olim floruisse constat: quo cum careat  
*Nordvvicum*, Hollandiæ vicus, appellendis navibus ine-  
ptum est.

G

XC. Sed

X C. Sed hoc obiter. Id certum est nullum hodie superesse monumentum, quo constet vel Frisios vel Hollandos eâ quidem tempestate ultra littora multum excurrere vulgò solitos. Ne de Flandris quidem id legas. Adducit quidem Boxhornius pro Hollandicarum navigationum antiquitate expeditionem Gothofridi Bullionij in Palæstinam: ivisse enim Gothofredo comites Hollandos. Sed fugit illum terrestri itinere in Palæstinam tunc itum, non classe. Multò minus probavit Boxhornius navigiis Hollandicis quenquam ad sacrum illud bellum tunc usum, sed ponit hoc ac sibi credi vult sine argumento. Piraticam tamen nonnullos tractus illius maritimi Germanos tum per Oceanum exercuisse, constat ex auctore *anonymo chronici Hierosolymitani*, cujus editionem R. Reneccio debemus, *l. 3. c. 14.* & Guilielmo Tyrio. *l. 3. c. 23.* Uterque enim narrat inopinatò classem piratarum duce VVinemaro quodam in palæstinam advenisse anno 1097, piratis ipsis è Flandriâ, Antvverpiâ, Frisiâ oriundis.

X C I. Cæterum circa finem seculi illius Christiani undecimi, navigijs ultrò citroque circa Oceani littora comitantibus, jam maritima commercia passim cœperunt institui. Adamus Bremensis illâ ætate de *Ripa Iuriæ ad Oceanum opido cap. 208.* ita scribit: *civitas Ripa alio tangitur abveo: qui ab Oceano influit, & per quem vela torquentur in Frisiam, vel in nostram Saxoniam, vel certè in Angliam.* Vnde constat Frisios, (quo nomine tum dicti omnes etiam Flevis accolæ) Saxones, Iura, littora tum legere suetos mercaturam mutuam exercuisse. De Brema idem Adamus *c. 183.* testatur: *eam à negotiatoribus ex omni parte terrarum mercibus frequentatam.* Nondum tamen eâ tempestate per Oresundam commerciorum gratiâ

gratiâ fortè est navigatum. Meminit enim ejus freti A-  
damus c. 214. nulla verò facta mentione frequentis ali-  
cujus per illud navigiorum transitus: non omiffurus in-  
dubiè rem tanti momenti, si fuisset in usu. Idem verò  
omnia circa Iutiam piratis fuisse quam maximè infesta  
c. 208. magnam quoque piratarum copiam circa Lundi-  
num Selandiæ civitatem se continuiffe cap. 213. testatur.  
Ut illa quidem tempestate per illud fretum liber transi-  
tus haud paruerit. Confirmatur idem eo, quod, si cre-  
dimus Vbboni Emmio Frisicarum rerum longe doctissi-  
mo scriptori, primi Stauriæ VVestfrifici opidi cives ma-  
re Balthicum ultra fretum illud Danorum Iustrarint.  
Quam urbem constat navium copiâ & commerciorum  
frequentiâ floruisse maximè seculo Christiano duodeci-  
mo.

XCII. Ergo ab anno post millesimum centesi-  
mo melior multò fortuna urbibus Germanicis alluxit,  
republica etiam illarum in majorem libertatem assertâ,  
ceu post dicetur. Urbium ad Rhenum fortunam collige-  
re est ex his verbis Othonis Frisingensis breviter descri-  
bentis res circa annum 1114. gestas per Fridericum Sue-  
viæ ducem in gratiam Henrici V. Cæsaris. *Ipsè, inquit*  
*l. 1. c. 52. Fridericus de Alemannia in Galliam transmissio Rheno se*  
*recipiens, totam provinciam à Basilea usq; Moguntiam ubi maxi-*  
*ma vis regni esse noscitur, ad suam inclinavit voluntatem. Qua-*  
*lis Moguntia tum fuerit, latius idem narrat c. 53. In Saxo-*  
*nibus Bremæ potentiam indicant tres navales expedi-*  
*tiones, altera in Palæstinam (quæ à nonnullis perperam*  
*refertur in annum 1029) altera in Lusitaniam circa an-*  
*num 1141, victoria ereptæ Sarracenis Vlysiptonæ nobilis,*  
*tertia iterum in Palæstinam circa annum 1189. quo tem-*  
*pore Bremensium laudabili exemplo peregrinantium*

920.  
agrorum suscepta cura, Teutonico equitum, qui appellatur, ordini initium dedit. Ab iisdem navigatum tunc & per Oresundam in Livoniam: quin & coloniâ Bremensium civium eò traductâ, pactâque cum Livonis amicitia, & Riga urbs condi, & Christiana religio barbaris coli coepit circa annum 1160.

XCIII. Eodem tempore Lubeca condita brevi & incolarum multitudine & commerciorum frequentia magnum incrementum sumpsit. Similiter & VVismaria, & Rostochium, & Stetinum, & Stralsundum maritima ad Balthen opida novis Saxonibus incolis acceptis reffloruerunt. Imò omnis trans Albim Schlavorum terra maritima depopulata penitus & incolis orbata, colonijs Hollandorum, Frisiorum, Flandrorum coepit excoli, urbibus multis aut reparatis aut noviter conditis, imposterum Germaniæ accensendis. Non minor verò fuit fortuna & ejus Saxoniae, quæ cis Albim est & Visurgim. In Frisijs Stauriam polluisse classe & potentia navali, jam supra testimonio Vvbonis Emmij probavimus. In Hollandia Flardingum & Renensburgum celebri tum famâ: quæ tamen ferè hoc ipso tempore haud leve damnum passæ ab Henrico V. Cæsare. Iam & Flandria coepit maritimæ commercia cum Anglis institueret. Quæ omnia annalium testimoniis probare in promptu est.

XCIV. Proximo seculo urbium per Germaniam conditio haud parum solito etiam melior reddita. Namque & numerus earum multum crevit in omnibus penè regionibus, & maritima commercia aucta in immensum. Et verò hoc tempore primum urbes fœderibus institutis se & sua contra prædones & hostes armis defendere coeperunt. Primæ videntur in societate hujusmodi coisse

quæ

quæ Rhenum accolunt, anno 1255. Eo de fœdere in hæc  
verba loquitur Arnoldus Abbas Stadensis, qui tum vixit:  
*Quidam validus civis in Moguntia cœpit hortari concives suos,  
ut pro pace restauranda juramento se invicem constringerent.  
Consenserunt ei & aliæ civitates plurimæ. Vocarunt eum VVa-  
rhodonem. Non placuit res Principibus, nec militibus, sed ne-  
que prædonibus, & maxime his qui habebant assidue manus pen-  
dulas ad rapinam, dicentes esse sordidum mercatores habere super  
homines honoratos & nobiles dominatum. Notatu digna quo-  
que sunt, quæ Chronicon Augustanum vetus habet: interea  
VViilhelmo Rege Rom. cum Comitissa Flandria & Frisonibus  
bellica agente negotia, Civitates Rheni quasi destituta regia de-  
fensione vinculo societatis fortissime ad invicem coniungun-  
tur. Capitaneum eligunt, telonia eiusdem fluminis, quæ a plu-  
ribus fuerant aggravata, remonent; vicinos Principes & Comi-  
tes sue societati adherere compellunt, undique in finibus suis pa-  
cem ordinantes optimam & hæctenus inauditam. Cui superven-  
niens primus Ludovicus, novus Palatinus Comes Rheni, fœdus  
laudabile societatis inivit cum civitatibus supra dictis. Ista au-  
tem pax more Lombardarum civitatum inchoata, propter mali-  
tiam resistentium, non diu durat. Fuere autem in fœdere illo  
urbes 41, ut & Principes aliquot, quorum nomina post  
Aventinum & Cuspinianum consignavit Lehmannus l. 5.  
Chron. Spirensis cap. 92.*

XCV. In eadem penè tempora incidit & initium  
fœderis ejus quod HANSICVM appellatur. Sanè Chy-  
træus l. 23. scribit: *De Hansicorum in exteris regnis emporio-  
rum initiis, ut & de ipsius etiam Hansicæ societatis certâ origine  
quo anno Christi cœperit, & quando emporia singula occupavit,  
sæpe multumq; ex præcipuarum urbium Syndicis, Secretariis &  
aliis sciscitatus sum; qui non modo de emporiorum origine certi-  
nihil docebant, verum etiam quo anno ipsorum civitates in Han-*

*922* *sa societatem primùm recepta essent, plerique non indicabant.*  
Credit tamen coepisse societatem paulò ante tempora Fri-  
derici II. circa annum salutis c13 cc. Eum sequitur ut in  
plerisque alijs Germanicarum rerum narrationibus,  
Thuanus l. 39. verbis Chytræi non nisi leviter mutatis. In  
spissis suis quatuor centonibus Ioannes Angelius nihil de  
origine foederis certi prodit, ineptus autor, ut molliter  
dicam. Videtur tamen eam repetere interdum ab Hen-  
rici Leonis ævo. Scriptor Italicus *thesauri politici* sese ori-  
ginem foederis certam nullo studio potuisse discere fate-  
tur: Henricum tamen Sudermannum societatis consilia-  
rium eam rejecisse in tempora verustissima, quæ annum  
Christi millesimum ducentesium longè antecedant. Sed  
cum Lubeca, quæ foederis unà cum alijs Vandalicis, quæ  
appellantur urbibus caput semper audierit, non potest  
profectò societatis origo excurrere ultra ipsa earum ur-  
bium primordia. Cæperunt verò illæ condi seculo illo  
duodecimo declinante. Quis porro credat foedus illud  
coiisse quo tempora Lubeca, Hamburgum & reliqua pe-  
nè omnis ora Balthica impotentem dominatum Dani-  
cum passa? Excussum autem illud jugum est anno 1226.  
Neque legas in bellis pro libertate contra VVoldemarum  
ejusque filios Ericum, Abeleum & Christophorum Da-  
niæ reges gestis urbium ad Balthin sociis armis Lubecen-  
ses usos. Confectum autem id bellum fuit circa annum  
1259.

XCVI. Itaque post annum sexagesimum foe-  
dus illud demum coiit: pace scil. cum Danis pactâ, adeo-  
que magis magisque florentibus jam maritimis com-  
mercijs. Ipse Angelius *parte tertiâ* centonum suorum  
c. 10. urbes Hanficas firmiorem societatem iniisse testa-  
tur anno 1270. tabulas verò foederis servari hodieque  
in

in archivis. Neque verò fidem meretur quod idem scribit c. 15. visa sibi antiqua documenta privilegiorum anno 1194. societati huic concessorum: aut quod alij narrant, ab Henrico III Angliæ rege anno 1206 amplissimis privilegijs societatem hanc ornatam. Namque Henricus III puer patri successit primùm anno 1217. Anno verò 1194. Vrbes Vandalicæ pleræque vix cœperunt coli. Credimus tamen ab Henrico III illo data quædam privilegia societati, quum id ipsum testetur Polydorus Vergilius; at Henricus ille regia est dignitate usus ad annum usque 1273. Confirmatur conjectura, quod Angelius producens excerpta ex tabulis Norvvegicis non potuerit laudare aliquid antiquius anno 1278. Sed nec in compendio legum fœderis, quod à Domanno confectum *partis 41æ c. 11.* inservit Angelius, ulla legitur antiquior constitutio anno 1312: ut fortassis illo demum tempore in justum corpus coiërint.

XCVII. Cæterùm scrupulosior hæc indagatio fortè minimè convenit instituto nostro. In naturam autem scopumque cùm Moguntini illius tùm Hansici fœderis inquirentibus, facile ingens utriusque discrimen apparet. Illud enim pro salute publica ipsarum urbium initum: exprimente id necessitate, quod ever-sâ tum Cæsarum auctoritate omnia rapinis & potentiorum libidini paterent, adeoque nullum superesset remedium ex republica conservandis rebus quàm factâ societate vim omnem prohibere. Etsi verò vix novenni-um duraverit fœdus illud, & in præsens tamen fuit utile & exemplo consuluit posteritati. Comperto enim semel societatis beneficio, insequentibus temporibus ejusmodi urbium fœdera, quoties necessitas visa exigere, plurima coierunt, in diversis locis diversa, donec  
Maxi-

Maximiliano I. Cæsare divisa in Circulos, quos vocant, Germaniâ, jisque optimis legibus instructis, instituto item Camaræ judicio, tranquillitati publicæ nonnihil rectius consultum est. Omnia verò hæc *συμμαχίας* fœdera uno Helvetiarum excepto ad breve tempus & pleraque intra paucas urbes steterè: cæterum Suevicum mole, numero præ alijs eminuit. De quo rectè tamen *lib. 1. de repub. Helvet.* Iosias Simlerus: *Avorum memoria cum Friderico Augusto auctore & principe, Suevicæ urbes fœdus fecissent, magna initio apud omnes ejus fœderis fama fuit & opinio, verùm bello adversus Helvetios temerè suscepto, & infelicitè gesto, multum existimationi ejus decessit, quam tamen pulso duce VVirtembergico, & arcibus pradatorum totâ Suevia disjectis, recuperasse videbantur, nisi paulò post finito præscripto tempore fœderis, ita statim in diversum abiissent, ut quos ante hostium loco habuerant, iis ut amicis, & veteribus amicis & fœderatis, hostium plenè loco usi fuissent. Ita hominum memoria fœdus illud cæpit & in nihilum abiit.* Helvetica verò societas paucas quidem urbes comprehendit, at æternitate & robore planè sine exemplo est. Non enim ipsa illa antiquitati celebrata vel Achaicum vel Aetholicum Græcarum urbium fœdera cum Helvetio sive potentiâ sive tempore contendere merentur.

XCVIII. Alia verò natura est fœderis Hansici si quidem primam ejus ætatem spectes. Contractum enim maximè videtur non nisi ob commercij maritimi libertatem in regnis exteris. In eam sanè sententiam scribit disertis verbis David Chytræus, harum rerum maximè intelligens auctor *l. 23. Saxon.* & qui hunc exseripit Thuanus *l. 39.* Sed & Albertus Cranzius non aliter de fœderis hujus summa loquitur: quem tamen ejus natura non potuit latere. Ejus verba *l. p. metropol.*

cap.





cap. 41. sunt: Diu laborarunt, priusquam ad memoratam commu-  
nionem iterum reponerentur, hoc est, ad usum privilegiorum  
in mercaturis, Saxoniae item l. 9. c. 39. Non sunt passa (civi-  
tates reliquae) mercatores eius urbis in emporiis versari. Hos  
vocant Hansa eijcere & prescribere, cum illis privilegiorum uso  
& communionem interdicitur. Non aliter in VVandalia l. 9.  
6. 7. Ex quo tempore denuò admissi sunt in communionem Hansa,  
hoc est, ad participationem privilegiorum, quae in quatuor em-  
poriis, in Flandria, Brugis: in Anglia, Londonis: in Norvegia,  
Bergis: in Russia Novogardiae: permessa sunt olim mercatoribus,  
ab retrò principibus & terrarum gubernatoribus, universis eius  
communionis participibus. Confirmatur idem vel eo max-  
imè, quod in compendio illo constitutionum Hansica-  
rum Domanniano nihil habeatur quod ad *συμμαχίας*  
possit trahi. Ad hoc, cum pleræque hujus societatis  
urbes Principibus varijs sint subditæ, quis crediderit e-  
orum consensu urbes subditas in formidabile adeò fœ-  
dus coijsse? Constat verò à Principibus multis pro ur-  
bibus suis in jura Hansæ recipiendis intercessum. Sed  
nec cum bella varia gesta nonnullas hujus fœderis ur-  
bes inter & Principes Germanicos aliosque, tota  
Hansæ societas ad se olim pertinere id credidit: itaque  
nec observare in monumentis est historicis, in defensi-  
onem singularum urbium sumpta ab omnibus socijs  
arma, aut submissa auxilia. Sanè suppetias sibi mutuas  
nonnunquam, aliquæ hujus fœderis tulerunt; at non  
ex Hansæ illo communi, sed novo & singulari pacto.  
Cujus generis & inter sese & cum alijs Hansæ non con-  
societatis Principibus & opidis, alijs temporibus alia, &  
quidem non nisi momentanea, certisque annis definita  
injerunt. Formula tamen renovati fœderis in conventu  
Hansico anno 1579. proposita, caput habet *πρὸς συμμαχίας*

H

con-

926  
contra vim injustam: ceu liquet ex ijs quæ narrat Chytræus l. 24. *Chronici*. Disertè idem continet formula fæderis anno 1604. conscripta, quam post alios edidit Angelius, sed barbare de Germanico versam *part. 4. c. 12.* Quanquam verò ita convenerit, vix tamen ullum communibus societatis viribus bellum gestum in unius urbis defensionem: & formula anni 1604. pactum illud disertè annis decem definivit.

XCIX. Ergò primam sanè originem fœderi Hanfico dedit studium conservandi maritimi commercij cum peregrinis, Norvvegis cum primis, Danis, Suecis, Russis, Anglis. Hæ enim gentes cum ea tempestate importatis Germanicis mercibus, ingeniosâ magnam partem manu confectis, indigerent, contrâ verò abundarent plurimis rebus in Germania desideratis, & tamen sive præ mercaturæ simul & nauticæ rei imperitia, sive quod lucri minus cupidi periculum & labores navigantium detrectarent, ipsi concessis navigiis ultrò citroque commercia maritima nulla vel rata instituerent, factum hinc est ut ad solos Germanicos mercatores ac nautas omne hoc negotiandi genus devolveretur. Magno verò usui videntibus exteris & sibi hæc commercia cedere, non dubitarunt & vectigalium immunitatibus & alijs privilegijs ultrò Germanos invitare. Qui & ipsi certâ spe amplissimi lucri, non segniter hoc egerunt. Sed piratis infesto Oceano marique Balthico, & exteris illis concessa semel privilegia facile mutantibus, ad tutum iter præstandum, simulque ut semel donata integra servarentur, fœdus necessarium fuit.

C. Ac primum quidem Vandalicæ urbes, quæ appellantur, coisse videntur. Manet hodieque illis ac præcipuè Lubecæ primarius in confessa locus, ut fæderis

deris auctoribus. Inde plures per Pomeraniam, Prus-  
siam, Livoniam, Episcopatum Bremensem, Ducatum  
Brunsvicensis, Westphaliam, Frisiam & vicinas regi-  
ones accesserunt: assumptis in societatem multis etiam  
mediterranea colentibus, ut numerus ultra octoginta a-  
liquando excreverit. Extendit numerum Angelus ad  
108. parte 4. cap. 10. sed indicem nominum inspicienti fa-  
cile apparet multas ab illo recensitas ne nomen quidem  
foederi dedisse, alias ante aliquot centum annos illi re-  
nuntiasse. At omnes in universum in quatuor dioeces-  
ses aut ordines divisæ, totidem metropolitanis opidis  
constitutis, Lubeca, Colonia, Brunsvico & Dantisco.  
Omnium principem tamen locum & auctoritatem Lu-  
beca sortita est in originis memoriam: proximam digni-  
tas Agrippinensibus cessit, utpote quibus & jam ante  
hoc foedus Hansicum, suum aliquod foedus cum vicinis  
urbibus fuerit, adeoque una cum sociis in Hansicam so-  
cietatem transferit. Etsi porro in omnibus penè exteris  
regionibus sua societati sint privilegia & immunitates,  
quatuor tamen potissimum emporia peregrina consti-  
tuta, Londinense in Anglis, Novogrodum aut Narva  
in Russia, Bergense in Norvvegia, & Brugense in Flan-  
dris, quod post Antverpianam in Brabantinos est transla-  
tum.

CI. Verum hæc & alia hujus foederis narrare non  
est instituti nostri. Adeo multas autem urbes in socie-  
tatem accipere primi foederis auctores sunt coacti, quod  
soli non sufficerent defendendis immunitatibus suis ad-  
versus vim & injuriam. Lucri verò expectatio in a-  
deo multis societatis desiderium excitavit: quod soli  
scilicet socij ad commerciorum hæc beneficia admitte-  
rentur. Quâ de causâ, consensu etiam Principum do-

418. minorumque contractum foedus, aliàs Principibus merito suspectum: quod & hi urbes suas omni commerciorum genere florentissimas esse cuperent. Id verò non minimam Germanici imperii labem arguit, quod ingens adeò societas coierit nulla auctoritate publica. Eo enim effectum, ut cum exteris regnis & provinciis pacta, contractus, conventus sint initi, non publico imperii nomine, sed privato subditarum aliquot urbium. Quod in bene constitutâ republicâ minimè profectò est tolerandum. Fuit autem & ipsis sociis urbibus privatim id noxium: utpote quæ publica Imperii auctoritate destitutæ, solæ excipere vim omnem exterorum populorum coactæ sint. Verum quo tempore cœpit societas, & aliquot post seculis perturbatissima Imperii ratio, & attritâ Cæsarium dignitate, parum in republ. præsidii fuit positum. Ut ergo plurimi alij errores tum commissi, ita & hic recepto tum more contigit. Aliàs haud fortè difficile fuisset, & toti imperio & urbibus sociis consulere ab initio ad illum modum, quem in societatibus mercatorum Indicâ, Americana, Septentrionali, aliisque instituendis Belgici foederati Ordinis magna cum prudentiæ laude observarunt.

CII. Quamvis verò hæc celeberrima ac nobilis societas ipsis primum centum annis in regibus principibusque, quorum beneficiis nata erat, formidabilem potentiam exereverit, bella quoque pro concessis semel immunitatibus suis cum Danis, Svecis, Anglis aliisque populis magna felicitate gesserit; post annum tamen millesimum quingentesimum sensim cæpit deficere, ita ut anno præter propter sexagesimo post, animam prope agere visa fuerit. Actum quidem deinceps anno 71. de instaurandâ societate Hanficâ & renovando civitatum foedere.

429  
deſe, formula quoque fœderis nova in conventu propoſita anno 79. à paucis tamen in eam conſenſum. Aliæ leges fœderis anno 1604 conſcriptæ, nec minus ſtrenuè à nonnullis laboratum de ſocietate reparanda, ſed poſt tot etiam labores, magis magisque ad paucas urbes ingens illa olim ſocietas magno ſane urbium damno contracta eſt.

CIII. In cauſas verò ejus decrementi inquirentibus non unæ videntur illæ occurrere. Præcipua fortè eſt ſociarum urbium inæqualitas: quæ ut omnium ferè ſeditionum mater eſt & cauſa, ita quoque omnes in univerſum ſocietates diſſolvere ſolet. Cum nempe parvæ urbes exiguum ex hoc fœdere fructum percipere ſe exiſtimarent, pleraque ad ſe majoribus trahentibus, primùm ab his negligi ſocietas, mox & reliqui caput. Ad hoc, ipſæ illæ exteræ gentes nauticis commerciis operam dare Hanſicorum exemplo didicerunt, quibus tamen alibi non eæ immunitates conſeſſæ. Hinc orta invidia & ſocietati ſua libertas paſſim erepta. Quæ alibi fruſtra iterum quæſita, alibi reparata quidem, non niſi ſumtuoliſſimis tamen bellis ſuſceptis. Vnde maximum ærarii damnum enatum, reliquantibus plerisque, etiam potentiam ſocietatemque ipſam ſenſim labefactavit. Denique haud parum detrimenti attulit quoque Hanſicis Flandrorum & Hollandorum mercaturæ & rei nauticæ ſtudium: quo illæ gentes ab anno uſque milleſimo ducentefimo, cum primis autem poſt quingentefimum floruerunt. Primum enim interceptus monopolii fructus, mox præcipua nautici commercii vis ab Hanſicis in Hollandos tandem tranſiit.

CIV. Sed de fœderibus urbium ſatis. Sine dubio autem magno & fœderatis urbibus ipſis; & toti Germania

nia commodo fuerunt. Nam illis quidem *σομαχικαῖς* & tranquillitatem publicam & libertatem popularem aliquot per secula debemus. Ut enim nonnunquam excefferint modum, si verum tamen fateri velimus, absque hoc remedio extrema servitus omnes dudum oppressisset, qualis sanè fuit aliquot centum annis Germaniæ *ἀναρχία*. Iudicavit idem Casper Peucerus magnæ doctrinæ & prudentiæ vir; Itaque de foedere Moguntino *l. 6. Chron.* verba faciens ita loquitur: *Profuit hoc exemplum posteritati. Similibus enim consiliis deinceps & malis publicis obviam itum & multorum audaciam ac molitiones repressas esse constat. Nec aliter servari res communes possunt, publicis periculis auferentibus.* Sic Hansicæ societatis magnam partem beneficio certum est ad eam opulentiam, eamque omnium rerum abundantiam cum urbes tum & reliquam Germaniam pervenisse. Illa certè Septentrionis & Britannicæ Galliæve opes cum Germanis, & nostras cum illis vicissim communicavit. Vnde copia rerum & lucri ingens magnitudo. Nec foedere illo salvo in Germaniam moliri quidquam ausi sunt maritimi exteri populi. Ut securitatem etiam Germaniæ Hansico foedere aliquot seculis stetisse fatendum sit.

CV. Cæterum quibus præcipue de causis septingentorum annorum spatio, & in hunc numerum & in illam fortunam Germaniæ urbes excreverint penè jam dictum est. Vnum tamen addendum, de metallorum & salforum fontium copia, quorum itidem pleraque hoc annorum intervallo aut inveniri aut excoli cœpta. Abundare autem Germaniam hodiè præ aliis Europæ regionibus omnis generis ditissimis metallis ut & falsis fontibus, notum in vulgus est. Illa verò & originem urbibus plurimis dederunt, & immensam pecuniam

cuniae vim subministrarunt. Hinc verò splendore & luxu nimium quantum crescente, opificum quoque variorum industria ad summam acuminis laudem penetravit.

931.

CVI. **CONSEQUENS** est de Urbium republica differamus. De illa verò in universum ferè licet pronuntiare, post Carolinorum tempora juris dicundi vim cum mero mixtoque imperio, magistratum item constitutionem, nec non fisci jura à Cæsaribus partim prodigiis largitionibus, partim venditione, partim alijs nescio quibus modis, in aliorum potestatem devenisse. Harum mutationum initium multi ab Ottonibus repetunt: quod ex parte verum esse, ex parte non, ex ijs quæ addemus patebit.

CVII. Igitur Ottonibus auctoribus, in illis sanè urbibus quæ in possessionem cesserunt Episcopis & Archiepiscopis, penè per omnem Germaniam, admodum mutavit respublica. Quum enim illam hætenus per Comites, Missos, Duces administrari Reges curassent, Ottones eandem Episcopis suis concesserunt: falsâ ducti persuasione id cum ad præsentis vitæ felicitatem, tum ad æternæ beatitudinis præmia capessenda vel maximè profuturum. Quasi verò non multò rectius alijs sacrorum animarumque, alijs verò civilium cura permitteretur: quos magistratus omninò distinguendos invicem esse, jam olim ostendit & Aristot. 6. *Pol. c. ult.* Plane sine exemplo autem fuit hæc Episcoporum civilis urbiû cura. Cum enim ex veteri ævo recepto more, non aliam coërcitionis potestatem haberent quam pœnitentiæ & excommunicationis, nec aliud ipforum munus esset, quam hodie apud nos est alicujus Superintendentis, paulatim adjecta tantum jurisdictio est in clericos eorum, quoad

932  
quoad personas & bona: ita ut monachum vel clericum  
coram solo Episcopo accusare licuerit, Negatum tamen  
etiam sic Episcopis iudicio præsidere, aut bona admini-  
strare aliterquam per constitutos Advocatos. Neque  
verò ferendus est Albertus Crancius, qui jam à Carolo  
omnem reipublicæ curam in Saxonia Episcopis vult  
commissam. Repugnat enim cum omnibus aliis an-  
tiquis monumentis, tum sufficit illi refutando unum il-  
lud diploma Caroli Magni quo Episcopatum Bremen-  
sem instituit, quod & ipse in Metropoli ac Saxonia re-  
citavit, dudum autem historiæ suæ inseruerat. Adamus  
Bremensis *cap. 9.* & post hunc Albertus Stadensis. Ne  
nunc laudem formulam episcopatibus idemandandis  
usurpari vulgò tunc solitam, quæ habetur apud Marcol-  
phum 1. & 3.

CVIII. Primus autem Bruno à fratre Ottone  
Magno Ducatum Lotharingiæ accepit, atque ita simul  
jus gladii temporalis. Itaque rem insolitam narrans  
VVitichindus *l. 1.* excusandam sibi eam sumpsit exem-  
plo Samuëlis. Verba ipsius sunt: *Brunonem Pontificis  
summi ac Ducis magni vidimus officium gerentem; ac ne quis  
eum culpabilem super hoc dixerit, quum Samuelem sanctum  
& alios plures, sacerdotes pariter legamus & iudices.* Auctor  
chronici Belgici magni, eandem rem notatu dignam  
duxit: *Ante hæc sua (Brunonis) tempora Archiepiscopi Co-  
lonienses, non iudiciis gladij temporalis, sed tantummodo ju-  
risdictione usi baculi pastoralis.* Sicut autem Brunoni fratri  
Lotharingiam, ita VVilhelmo filio Meguntino Archi-  
episcopo Thuringiam & Hassiam, alijs alia pleni domi-  
nij jure possidenda dedit, Quod latè ostendere hujus  
loci non est.

CIX, De Episcoporum autem nova in urbes po-  
testa-



433.  
testate seorsim nonnihil dicendum. Erant bona Episco-  
porum ut & monasteriorum jam diu antè, secularibus  
quæ appellantur judicijs exempta, singulari liberalitate  
Regum ita curante, adeoque omnibus Episcopaliū &  
monasticorum bonorum caussis dijudicandis passim Ad-  
vocati ac defensores ita dicti à Regibus ipsis Præficien-  
tur. Quod hic probare non attinet. At omnia illa bo-  
na intra villarum, agrorum, sylvarum, servorum aliquot,  
ac similiarum aliarum paucarum rerum vilitatem consiste-  
bant. Ab Ottonibus verò urbes, arces, comitatus, i-  
mò integræ provinciæ Episcopis & Monasterijs donari  
cœperunt. Bene enim Theodoricus de Niem: *Otto pri-  
mus omnibus penè cathedralibus Ecclesiis in Italiâ, Galliâ, Germa-  
niâ, Burgundiâ & Lotharingiâ constitutis, multas civitates,  
castra, oppida, villas & multa alia dominia temporalia & iu-  
risdictiones donavit, atque omnibus illis Ecclesiis propria insi-  
gnia perpetuò deputavit. Archiepiscopos quoque & Episcopos  
Ducatibus & Comitibus & Baronis communivit, quibus no-  
biles & potentes vasallas subiecit, ut semper essent ad resisten-  
dum, & manu forti paganis & hereticis in oportuno tempore for-  
tune.* Hactenus Niemus, qui prudenter notavit penè o-  
mnibus Episcopis multa adeo largiter ab Ottone donata.  
Historiam enim ejus ævi accuratè scrutantibus liquet, ab  
Ottone nonnullis nihil præter decimas datum, & ut ple-  
rique Episcopi castra, urbes, & comitatus sint à successo-  
ribus Ottonis nacti, aliquos tamen hodieque omnibus  
illis destitui. Ista verò nova largitione Regum multas  
passim urbes in potestatem Episcoporum devenisse cer-  
tum est.

CX. Cæterum cum in urbibus illis Cæsares, ut  
alibi hactenus, obtinuissent non tantum potestatem ju-  
ris dicendi per Comites & Legatos, verum etiam fisco

I

regio

regio sua & quidem varia fuissent jura, notari cum primis dignum est, in donandis Urbibus non eandem semper rationem observatam: sed alibi jurisdictionem & omnia jura fisci, alibi solam illam, alibi partem etiam horum Episcopis cessione. Manifestum id faciunt tabulæ donationum regiarum ejus ævi, quas omnes hic adducere, alienum est: quædam earum verba paulò post in partem citabimus. Hinc verò liquet, perperam nonnullos si hoc aut illud videant donatum, omnia alia etiam dono illo comprehensa autumare. Quomodo & illi falluntur, qui Episcopis omnibus aut plerisque urbes cathedrales eo statim tempore cessione credunt, quo urbes ab ijs possideri cœperunt. Facile enim ostensu est, à multis longo post demum tempore tale quid impetratum, à nonnullis nunquam, qui alias urbes haud paucas in possessionem acceperunt. Ut proinde in his omnibus ipsæ tabulæ donationum sint consulendæ.

CXI. Ita Chronicon Coloniense vetus p. 129. scribit urbis Agrippinensis merum & mixtum imperium ante Brunonem penes Imperatorem fuisse. p. 132. Hujus Brunonis beneficio liberatam urbem à tributo regio in perpetuum p. 133. inquit: *Quo tempore Saxones sceptrum gerebant Casareum, Colonia Episcopali jurisdictioni subdita fuit.* An quid ulterius cesserit tum Episcopis, haud liquet. Quid Episcopo Spirensi ab Ottone Magno in urbem Spiram concessum sit, omnium optimè patet ex diplomate Ottonis III, quo ille avitum donum confirmavit. Recitat illud integrum Lehmannus l. 4. *Chronico. 3.* Quædam ejus verba hujus argumenti, ita sese habent: *Episcopis donavit ac concessit, ut nullus Dux sive Comes, vel nullus publicus judex ex iudiciaria potestate, aut aliqua cujuslibet potestatis ignota persona, nisi solus Episcopus & Advocatus*

435.  
vocat: ipsius supra dicta Spirensis Ecclesia, ex iussione & concessione nostra deinceps potestatem habeat, pro quocunque negotio, vel pro aliqua re parva aut magna, placitum retinere, seu publicum iudicium facere, intra civitatem, Spira seu Nemeta vocatam aut in circuitu extra civitatem, id est, in villa Spira & in marca, qua eidem urbi adiacens est, aut aliquid per regale bannum in usum nostri, successorumque nostrorum exigere: neque aliquid de praediis, vel de moneta, seu de telonio, vel ex ulla re in fiscum regium transferre, &c. Ex quibus claret, iudiciis urbis imposterum praefectum Episcopum & eius Advocatum, proventus quoque ex praediis, ex monetaria re, ex telonio aliisque fisco regio haec hactenus solitos solvi, post hac remissos. Num vero in totum remissi, an donati Episcopo, non liquet. Caeterum Comitibus erepta cum sit iurisdictio urbis, facile perspectu est falli Lehmannum, quando l. 4. c. 2. Conradum II. Imperatorem Spirensis dictum ab urbis praefectura, aetate item Henrici V & Frederici suos urbi Comites fuisse docet. Spirenses enim Comites dicti & illi, qui pago aut Govæ Spirensi praefuerunt.

CXII. Simile verò quid ab Ottone Magno & Episcopo Mindensi datum. Literas Caesareas servavit nobis auctor Chronici Mindensis. Quae huc faciunt ita sonant: *Pracipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus (id est, Princeps) vel quilibet ex iudiciaria potestate (Comes vel Scabini) in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones dicta Ecclesia quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet, vel qua deinceps in iura eius divina potestas voluerit augeri, ad causas audiendas vel feda exigenda, mansiones vel paradas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesia Frances, liberos & ecclesiasticos litones, malmam, vel servos cuiuslibet conditionis, seu colonos contraventionem distinguendos.*

gendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occasiones requiren-  
das ullo nunquam tempore ingredi audeat, aut bannum sive her-  
bannum, seu ea qua supra memorata sunt, ab illis penitus exigere  
presumat, &c. Item: Insuper bannum nostrum & monetam te-  
loniumque sive macellum publicum ibi construi licere, & quic-  
quid ad potestatem nostram pertinere videbatur, eidem Ecclesia  
donavimus. Quò patet majori tum dono affectum Min-  
densem Episcopum quam Spirenses.

CXIII. Trahenda verò huc videntur & illa de  
Adaldago Episcopo Bremensi, coævo Ottonis Magni,  
apud Adamum c. 51: *Iste est qui nobis rempublicam restituit.*  
Item: *Adaldagus primus ut ingressus est Episcopatum, Bremam  
longo primis tempore potestatibus ac iudiciaria manu oppres-  
sam, precepto Regis absolvi, & instar reliquarum urbium immu-  
nitate, simulque libertate fecit donari. Precepta Regis hac  
continentia præsto sunt, & alia. Libertas scil. habita tum  
fuit, exemptum esse seculari, quod appellant, iudicio,  
& Episcopi administrationi subesse. Multa scil. indi-  
gna à Comitibus & Misis regijs passus ante populus, ut fieri  
assolet, & ex ipsis Capitulis Carolinis non potest esse  
obscurum. In mitius itaque imperium relatus indubiè  
tum populus, ubi Episcopis capit subijci, in libertatem  
se asseri existimavit. Et verò ejusmodi prorsus fuisse  
libertatem ab Adaldago partam, probant clarè ejusdem  
Adami verba c. 122. de Adelberto: *Et quoniam, inquit,  
magnus Pontifex vidit Ecclesiam, Episcopatumque suum, quem  
prædecessoris sui Adaldagi prudentia liberaverat, iniqua Ducum  
potentiâ iterum vexari, summo nisu reddere conatus est eandem  
Ecclesiam pristina libertati, ita ut nec Dux nec Comes, nec ali-  
qua judicialis persona quampiam jurisdictionem aut potestatem  
in suo haberet Episcopatu.* Tum verò ex eodem Adamo  
constat Adelberti ætate omni h. e. usque ad annum 172.*

Bre-



937.  
Bremam urbem Episcopo paruisse. Nam & Bezolinum  
Episcopum muro civitatem cinxisse c. 203. & Adelberti  
jussu eadem moenia diruta c. 121. ab ejusdem vero ministris  
impotenti dominatu oppidanos pressos c. 183. fusâ narra-  
tione persequitur.

CXIV. Lucem hæc accipiunt ex versiculis non-  
nullis Dithmari, barbaris illis quidem, in testimonium ta-  
men adduci hic aptissimis, quod VVormatiæ urbis idem  
fatum exponant, & auctor planè hac ætate Henrici II. vi-  
xerit, illustri genere & dignitate Episcopali conspicuus.  
Consensu sc. Otronis Ducis VVormatiensis oppidum erat  
concessum Episcopo;

*Urbs Vormacensis gaudet temporibus istis  
Libertate sua, cujus manebat in umbra  
Hactenus, atque Ducum fuerat sub lege suorum.  
Burckard Antistes letatur & inter heriles  
Ex animo proceres, quod non timer amplius hostes,  
Nunc ex contiguo, longè sermotus ab illo.  
Aula Ducis, domini domus est, iam prædia Christi  
Et judices varios cleris nunc deprimat illos.  
Hoc Rex Henricus fecit, pietate coruscus,  
Hanc propriis solvens rebus, Christoque remittens,  
Annuit ista pius Otto Dux, atque benignus  
Munere regali concessit abunde teneri:  
Ex hoc latantes sint semper quique fideles.*

Idem Dithmarus de Ottonis II. in Episcopatum Merse-  
burgensem liberalitate l. 3. ita loquitur: *Pauperem adhuc  
Episcopatum Merseburgensem largiflua pietate ressexit, & eius  
provisori Gisilero, quia hunc multum dilexerat, Swencam civi-  
tatem cum appertinentibus cunctis, ad servitutem Sancti Iohan-  
nis Baptista tradidit, & quicquid Merseburgensis murus conti-  
net urbis, cum Iudæis & mercatoribus de moneta & foresto &c.*

938  
permisit Quò simul patet verum esse quod diximus, ab  
Ottone primo non omnibus Episcopatibus amplas a-  
deo divitias concessas, multò minus omnes Episcopos e-  
jus beneficio in urbes cathedrales suas jurisdictionem na-  
ctas.

CXX. Scilicet VVormacia Henrici II primum  
benignitate cessit Episcopo. Ab eodem donatum E-  
piscopo Argentinensi Strasburgum scribit Guilliman-  
nus *l. de Episcopis Argentinens. cap. 2.* Non probat ta-  
men tabulis quas adfert aliud Episcopo datum quam mo-  
nasterium S. Stephani: in cuius ditione fuisse opidum  
perperam disputa *cap. 4.* Et verò nec ipse negat *palatii re-  
gis* nomine audisse idem Carolinorum ætate, & paulò an-  
te donationem illam Henrici Cæsaris *caput Ducatus Al-  
satie* sub Hermanno Duce appellatur à Dithmaro *l. 5.* qui-  
bus temporibus paruisse urbem monasterio, nemini te-  
merè probabitur. Quin fortè fuit urbs in ditione Du-  
cum usque ad familiæ illius interitum. Urbes autem ca-  
thedrales multas in Episcoporum potestatem haud deve-  
nisse constat exemplis Basileæ, Ratisbonæ, Augustæ Vin-  
delicorum, Lubecæ, Suerini, Ratzeburgi aliarum-  
que, quarum rempublicam certum est nunquam in di-  
tionem Episcoporum devenisse. Nempe quæ urbes  
jam ante peculium quasi Ducum & Comitum poten-  
tiorum erant factæ, illarum paucissimæ ab Episcopis  
occupatæ, utut reliquæ nimia Regum liberalitate ijs cesse-  
rint.

CXVI. Cæterum Episcopi ut hætenus in admi-  
nistratione aliorum bonorum, ita & in urbibus Advo-  
catis sunt usi, adeoque ex eo usque tempore in urbibus  
quarum jurisdictio Episcopis concessa, judiciis nomine  
Episcoporum Advocati aut *Thum Bögte* præfuerunt.

Qui-

939.  
Quibus & scabinos aut assessores ex populo eligendi fuit  
jus, utpote quum in Comitum locum successissent, qui-  
bus hoc olim competierat. Et verò horum alibi major,  
alibi minor fuit potentia, prout nempe plus aut minus re-  
galium quæ appellantur in Episcoporum ditionem con-  
cessisset, quorum illi Advocati ministri erant. Hoc ve-  
rò Advocati munus ab imprudentioribus nonnullis, certis  
familiis in feudi beneficium collatum, iisque interdum  
magnæ potentia & dignitatis, adeoque Ducibus imò ipsis  
Cæsaribus. Quo effectum ut multarum urbium jurisdic-  
tione Episcopi paulatim exciderint, pene æterna lege al-  
teri mancipatis juribus suis, aut in ministerium ascitis ijs,  
qui & in vitis suis dominis poterant imperare, Id quod  
multis ostendere hujus argumenti non est, sed ejus quod  
de bonorum sacrorum administratione alibi pluribus est  
exsequendum.

CXVII. Quæ verò Episcoporum eadem penè &  
monasteriorum antiquorum, quæ ferè omnia S. Benedi-  
cti vivendi regulam solum profiteri, conditio est. Nam-  
que & his à Cæsaribus villæ regie, urbes & arces, alibi cum  
fisci juribus, alibi sine ijs donatæ. Consilio certè multò  
minus probando, quam illo priore. Quid enim alienius  
esse debet ab hominibus *ἀσκητικῆν* professis & vitam con-  
templativam, quàm negotiis hujus seculi sanctum suum  
otium impendere? Fuit autem & his Advocatis opus, a-  
deoque plerique cum auctoritate & viribus Episcopis ipsis  
essent inferiores, præ potentia Advocatorum, aut lon-  
gi temporis mora suarum urbium jurisdictione excide-  
runt.

CXIX. Porro ut Episcopis & monasteriis, ita  
& Comitibus ac Ducibus partim pleno domini jure,  
partim in feudum, eadem Regem aut prodigalitate aut  
negli-

270 negligentia, plurimæ urbes cum fisci regij proventibus  
cesserunt. Unde in earum rempublicam eadem vis illis  
Dominis erat quæ ante Cæsaribus; imò non nullibi per  
vim major dominandi vis succrevit. Et verò huic præci-  
pue Cæsarum legationi debetur, quod pleræque urbes  
Ducibus, Comitibus, ratione jurisdictionis & fiscalium  
onerum hodieque serviant.

CXIX. Eò verò usque & largitionibus illis & ne-  
gligentia Regum, maximè accedentibus immanibus illis  
urbis ab Henrici usque IV. ævo, & paulatim magis ma-  
gisque imminuta regiâ vi & auctoritate, tandem perven-  
tum, ut penè omnium urbium Germanicarum summa ju-  
risdictio cum omnibus fisci juribus, privatorum Ducum,  
Comitum, Episcoporum, & Monasteriorum possessio ho-  
die censeatur. Extorquente regibus illa omnia nunc su-  
perstitione, nunc necessitate, nunc & aperta vi. Quâ  
de re plenius differere alterius loci est. Id certum paucas  
oppidò urbes hanc conditionem effugisse, puta fortè A-  
quisgranum, Francofurtum ad Moenum, Goslarium,  
Northusam, Molhusium, & si quæ sunt aliæ. Has enim  
solas in aliorum ditionem non pervenisse dixeris, in op-  
pidanos ipsos translata postmodum à Cæsaribus summa  
illa vicaria jurisdictione, cum multis alijs immunitati-  
bus.

CXX. Quamvis verò plerarumque urbium res-  
publica primis illis Germanici Imperij temporibus ad  
eum modum ab illis potentioribus regni ordinibus sit  
occupata, in universum tamen omnium urbium con-  
ditionem speculantibus fortè pronuntiare liceat, se-  
culo duodecimo præter propter in majorem multò li-  
bertatem cœpisse eas exurgere, initio tamen à paucis  
facto. Procedente verò tempore multæ ab Episcopo-  
rum,



491.  
rūm, Ducūm, Comitum, Monasteriorum aliorūque  
imperio ac potestate vel prorsus vel ex parte liberatæ  
sunt. Inter has alijs tandem jus suffragij in regni comi-  
tjjs tributum, adjecto onere conferendi indictos publi-  
cè nummos in ærarium regni, quas *Imperiales* vulgò  
appellamus: aliæ hac quidem dignitate destituuntur.  
jis tamen immunitatibus gaudent, ut in multis non-  
nullas prioris illius ordinis vincant, in paucis tantūm  
Episcopis, Ducibus, Comitibus, Monasterijs & quasi  
ad eorum solūm reverentiam adstrictæ: aliæ addictius  
quidem regnantur, etiam ipsæ tamen rempublicam ha-  
bent pristino liberiores.

CXXI. Verūm hæc omnia quando & quomodo  
cœperint, non una opinio est. Namque ante hos cen-  
tum annos & quod excurrit, videtur multis persuasum  
aut à Carolo Magno aut ab Ottone III Cæsare urbes ali-  
quas sigillatim regni usui adscriptas, munere Cæsarium  
multis immunitatibus collatis, & tributo illo suffragan-  
di jure. Posterius narrat inter alios auctor Chronici  
Coloniensis antiqui, vir cæteroqui haud indoctus &  
pro captu temporis eximio judicio. Verūm ut omnia alia  
quæ attexit ille interdum de institutis ab eodem Ottone  
Electo, & regni Ordinum quadripartita serie, fa-  
bulosa sunt, ita certum est hujus Ottonianæ constitu-  
tionis in omnibus retrò monumentis nec volam nec  
vestigium reperiri. Nonnullæ porrò urbium quas ille  
auctor ab Ottone nominatim in hoc ordine vult lo-  
catas, tum temporis ne conditæ quidem erant, ut Lube-  
ca, Berna, Luneburgum, aliæ. Complures jam tum po-  
tentioribus ordinibus parebant: aliæ nunquam ad digni-  
tatem illam pervenerunt, quod de Antvverpia, Gottin-  
ga, Luneburgo & alijs quibusdam extra controversiam

K

est.

492 est. Caroli M. ævo omnes urbes in universum à regijs præfectis fuisse administratas supra ostensum: nulla vero earum suas ita res gessit ut nunc fieri videmus, neque ab oneribus fisci regij ac hunc nostrum morem fuit immunis. Alij tempus quidem quo cœpit hæc libertas vel in certum putant vel varium, omnem tamen illam Cæsarium dono unicè referunt acceptam. Hos enim Episcopis cum primis quod illorum vis nimium crevisset, scorsim urbium administrationem iterum eripuisse. Alij aliud causantur: plerosque tamen errare, haud difficile est ostensu.

CXXII. Et quidem tempus quod attinet, immunitates & privilegia alijs temporibus alias urbes seorsim impetrasse certum est. Certum quoque ne singulas quidem urbes libertatem suam aliter quam successu temporum consequutas. Origo tamen horum omnium ferè post annum c100. à quo sc. tempore & numerus urbium & oppidanorum cum frequentia, tum opulentia ferè cœpit: ceu supra narratum. Minimè autem verum est omnem libertatem à Cæsariis esse, sed magna pars etiam ab Episcopis, Principibus, Comitibus, Nobilibus profluxit. Nec libera donatione omnia impetrata, sed alia etiam emptione, alia permutatione; alia vi crepta primùm, subsequuto contractu quodam post æquiore titulo possideri cœperunt. Sed nec omnium urbium, etiam illarum quas liberas nunc dicimus & Imperiales, eadem libertas, sed varia admodum, multis hodieque ab Ordinum regni imperio haud absolutis.

CXXIII. Hæc omnia pro dignitate exsequi prolixius est, quàm ut à nobis nunc quidem præstari possit. Quasi in exemplum itaq; pauca tantùm adducemus. *Wormsiam* supra diximus Henrici II munere Episcopo cessisse

at

993.  
at eadem urbs vestigialium solvendorum in compluri-  
bus locis Germaniæ onere liberata est ab Henrico IV: one-  
ribus bidelli, mannis mortuæ, alijsq; servilibus ab Hen-  
rico V; exigua alia adjecit Fridericus Barbarossa, petente  
id Episcopo: quæ omnia legere est in tabulis Friderici a-  
pud Lehmannum l. 4. c. 22. Nec verosimile est alijs privi-  
legijs urbem tum ornatam. *Spira Nemetum* Episcopo sub-  
dita per Ottones, ab Henrico V liberata est onere Bidelli  
in bonis defunctorum oppidanorum, ut & ab alijs one-  
ribus fiscalibus, ceu liquet ex tabulis quas recitat Leh-  
mannus l. 4. c. 22. Confirmavit eadem nonnullis adje-  
ctis Fridericus I, quas tabulas recitat Lehman. l. 5. c. 64.  
Idem Henricus V concessit Spirensibus facultatem eli-  
gendi duodecim viros ex suo ordine reipublicæ admi-  
nistrandæ: alia quædam indulgit auctoritate Henrici VI  
Philippus Suevus. Tabulæ extant apud eundem Leh-  
mannum c. 69. A sequutis Imperatoribus alia donata  
sunt, quæ hic recitare non attinet. Etsi verò hac ratione  
Cæsaribus faventibus Episcopi potestati multum deces-  
serit, vel sic tamen mansit Episcopo facultas constituendi  
judicium, & de cætero obsequium ac fidelitatem Episco-  
po ut domino suo hodieque jurant oppidani. Quam  
rem latè narrat Lehmannus l. 4. c. 23. & 24. Nihilominus  
Spiram inter Imperiales primi esse ordinis constat.

CXXIV. *Ratisbonam* regiam urbem appellat æta-  
te Ottonis I VVidekindus: eadem post cecit Ducibus  
unde Norici Ducatus metropolis audiit ætate Frideri-  
ci I apud Ottonem Frisingens. l. 2. de gest. Frid. cap. 28.  
at illa urbs subducta est Ducatui quo tempore Henri-  
cus Leo exutus est omni potestate. Idem contigit *Lu-  
beckæ*, quam amplius privilegijs ornarat recenter tum ex-  
structam, teste Holmoldo, idem Leo. De quo legendus

499 Aventinus, alij. A Cunrado ultimo Duce Sueviae cives Au-  
gustani se suaq; in libertatem non parvo asseruerunt argento:  
verba sunt Crusij *annal.* p. 3. l. 2. c. 17. Nunc vero utraq; sub-  
jectione liberati, in posterum ipsimet sibi ex suis municipibus in-  
genuis proprium senatum eligere & civitatis Curatores, Duum-  
virosve (Magistros tunc civium dictos, *Burgermeister* / *Con-  
sules*) & Praefectos urbis adhuc *Stadtflieger* appellari solitos,  
liberè creare coeperunt, ex quorum consilio & industria totius  
*Reipubl.* sua gubernatio penderet; capitalia tamen judicia, male-  
ficiorumq; actiones, ut olim ita & posthac penes Imperatoris vi-  
carios manserunt. Et verò ne haëtenus quidem capitali-  
um rerum praetura illam potuerunt sibi impetrare:  
sed nunc penes Comites, nunc penes Duces, nunc pe-  
nes alios fuit, quã invitis quã volentibus Augustanis.  
*Ulmam* regiam olim villam Carolus M. donavit mona-  
sterio Augiæ, quod divitis audit cognomento: at à Lu-  
dovico Bavaro (verba iterum sunt Crusij) impetraverunt  
*Ulmenses*, ut solverentur jugo *Diviti augiensis* monasterij. Itaque  
deinde ipsi sibi senatum, consules & tribunos plebis potestate à  
Caesare acceptã, fecerunt *Ann. circ. 1346.* ita se tunc ferè omni-  
no in libertatem à *Richenoensi Abbate* vindicarunt. Adhuc ta-  
men Monachis eos infestantibus Carolus IV postea eis privilegia  
Ludovici confirmavit. Nondum vexare desinentibus claustra-  
libus, in concilio *Constantiensi* & *Basiliensi* tandem *Fridericus*  
*III Ulmam* omninò liberavit, cum ea Monachis dedit grandem  
pecuniam. Tiguri fuere à regibus Francorum duo colle-  
gia sacra, virorum unum, alterum mulierum instituta.  
Penes haec olim (scribit *Simlerus*) maxima ex parte imperium  
urbis fuit. Ceterùm in arce que ad *Lemagum* edito loco sita olim  
fuit, Francicorum regum praefecti habitabant, qui collegiorum  
& urbis advocati erant. Post sub Germanis Imperatoribus iti-  
dem praefecti dati sunt urbi & collegiis, non tamen qui in arce  
habi-

habitarent, nam hoc munus plerumq. Principes viri habebant. 445.  
Ceterum temporibus illis urbs nihilominus suum consilium habe-  
bat virorum 36, e quibus duodecim quatuorimestri tempore im-  
perabant. Fuit autem penes illa collegia jus cooptandi  
idoneos ex oppidanis in illud consilium, donec Frideri-  
cus II concessit urbi liberam electionem hujus consilij,  
& ipsa illa criminalium rerum prætura urbi cesserit, cir-  
ca annum 1336, si credimus Stumpfij annalibus.

CXXVII. Constat porro a Ducibus Zaringen-  
sibus *Bernam*, *Friburgum* & multa alia præclara oppida  
possessa: similiter in peculio Ducum Sueviæ innume-  
ras arces & ingentem tunc tractum & complures urbes  
censitas. Utraque autem familia seculo decimo tertio  
expiravit, nec successorem nacta est, adeoque ut omnia  
alia, ita & urbes omnes proximè Cæsarium imperio cœ-  
perunt subjici: qui criminalium rerum præturam sibi  
servantes, aliorum munerum constitutionem libero  
oppidanorum arbitrio reliquerunt, confirmatis privi-  
legijs & immunitatibus quas à Ducibus suis jam erant  
consequuti.

CXXIIX. Verùm hæc & alia narrare singularis  
erit operæ. Vel ex his paucis tamen patet, non uno mo-  
do aut uno tempore natam libertatem & immunitates  
urbium. Causa verò cur Episcoporum præcipuè ut &  
Ducum nonnullorum vis in multis urbibus per Cæsares  
post annum c10c. fuerit accisa, non alia est, quàm  
quod Saxonorum Cæsarium nimia liberalitate, Fran-  
conici & Suevici Reges senserint altius crevisse nonnul-  
los Ordinum quàm expediret regno, nec sanè aliam vi-  
am invenirent firmandæ regiæ dignitati, quàm urbes  
potentiores eorum imperio subducendo. Id quod ef-  
fectu eo facilius tum fuit, quò jam plurimum auctis

oppidanorum divitijs, illi in libertatem prono admodum erant animo, ceu fieri assolet. Et vero ab eo usque tempore præ rerum omnium abundantia, præsertim quum numero incolarum flourerent, ad altiora nullæ non urbes adspirarunt, pristina tenuitate minimè contentæ. Quam rem cum primis juvit Ducatum & Comitatum in minutas particulas pro multitudine eorum qui illustribus familijs nati erant, divisione: qui mos à seculo usque decimo tertio circiter invalescens, potentiam & Ducum & Comitum plurimum delibavit: ingravescente magis magisque malo, quod in turbis illis reipublicæ, plerique bellum ex bello fererent: unde domi egestas. Ast interea crescente opulentiâ oppidanorum, urbibusque firmiore muro cinctis, contenta paulatim dominorum impotentia, & imperium eorum detrectatum, inde à pecuniæ egenis levi sæpe ære immunitatis & libertatis varia jura redempta, alibi & vi expressa sunt.

CXXIX. Sed de his aliàs latius. Quò verò constet clarius quantum mutata sit reipublicæ urbicæ ratio quingentis hisce retrò proximis annis, ab illo statu qui Carolinorum temporis fuit in usu, age rem breviter oculo subjiciamus. Primum nullæ tum urbes in ullius Ducis aut Comitum aut Episcopi patrimonio fuerunt: hodie earum pleræque ab eis possidentur. Secundò jus constituendi Senatuum & Consules, aut iudices vel scabinos, penes regem fuit ejusque præfectos *Comites* inquam & *Missos*: nunc in plurimis urbibus penes ipsos cives hæc facultas; alibi Ducibus aut Comitibus aut Episcopis id competit, alibi partim his partim illis, Imperatori autem fortè nullibi. Tertiò deliberationes & consultationes oppidanorum de rebus exiguis & vilibus

bus

bus tum instuta, rebus sc. urbium admodum accisis; nunc de bello & pace, de foederibus, de legibus, alijsque negotijs momenti maximi. Quarto criminalium rerum iudicium oppidanis nullis tum competijt: hodie idipsum plurimi nacti sunt. Quinto denique in comitijs regni ad suffragia ferenda nulli tum admissi oppidani, sed oppidorum Comites, hodie verò etiam hoc jus haud paucis cessit.

CXXX. Quantum itaque mutata sit urbium conditio, in propatulo est. Igitur ratione reipublicae quidem primaria hodie differentia urbium est, quod aliae jus habeant suffragij in comitijs regni cum onere contribuendi in publicum regni aërarium: aliae hoc ipso careant. Prioris generis nonnullae olim dictae sunt *liberae*, nonnullae *regni vel imperiales*: illae quae aut nunquam aut non diu alijs quam solis Cæsaribus paruisent, praë his quae serius aliquantò in libertatem assertae, dignitatis aliquam praerogativam sibi vindicantibus. Inter autem illas nonnullae & magistratum & iudiciorum omnium plenam habent potestatem, nonnullae in quibusdam quae ad magistratum constitutionem & iudicia pertinent, hodieque vel a Cæsare ipso, vel ab Episcopis, Ducibus, Comitibus, Abbatibus dependent. Posterioris ordinis itidem quaedam liberrimam habent facultatem magistratum & iudiciorum cum civilium tum criminalium; quaedam neque magistratus constituere, neque iudicia possunt instituere, nisi auctoritate Principum: quaedam denique medio sunt loco, diversae tamen & ipsae rationis.

CXXXI. Magistratum porrò quod attinet, facile probatu est Carolinâ aetate consules & senatores ut & scabinos, delectos non quidem à populo, ex populo tamen,

Q  
TK  
2222

men, & quidem munia hæc commissa solis primarijs ci-  
vibus, insigni genere natis; opticum, institorum & ope-  
rariorum plebe exclusâ. Neque legas ad consultationes  
vocatam plebem. Servatum hoc etiam post, ubi jam  
ipsa eligendi potestas urbibus erat concessa. Hinc anti-  
quitas in Germaniæ opidis Oligarchiæ invaluerunt, &  
quidem omnis generis, ut illas optimè enumerat Ari-  
stoteles unicus civilis prudentiæ magister 4. Polit. cap. 5.  
Post annum tamen circiter c13 ccc pene ubivis exortâ  
seditione inter plebem & patricios, mutavit respública,  
& popularis status passim introductus est, ita ut hodiè  
vix una amplius & altera Oligarchia superfit.

CXXXII. Quod procul dubio contigit haud aliâ de  
causâ, quàm quod eo tempore plebs & numero & opi-  
bus jam crevisset, suasque tribus passim & collegia habe-  
re, patricij verò haud satis observarent artes conservan-  
dæ Oligarchiæ. Ex eo verò pro Oligarchijs variæ passim  
vel democratix vel aristocratix vel mixti status nati.  
Quorum omnium constitutiones, morbos, pericula,  
salutem, remedia exponere fortassis operæ quidem esset  
pretium maximum, nos tamen hodie ne attingemus  
quidem, tam nobile argumentum in aliud  
tempus rejicientes.

F I N I S.



ML

VDT7

Pau. deg.





572

lis fere urber  
 ceptio coepit  
 majorem ad  
 derent. Sci  
 mus, aut sed  
 paucis, vel p  
 coeuntibus c  
 dam requiri  
 Latinis vicus  
 & tertia si m  
 avi scriptori  
 Vrbs dicitur  
 praecipue si e  
 classis scripto  
 V. S  
 quaestio, non  
 bis quidem c  
 mus: interim  
 te quod om  
 hominum soc  
 VI. H  
 causa primun  
 societatem in  
 VII. S  
 rentia. Non  
 imperio initia  
 tyranni dom  
 contra sponte  
 tamen quali  
 vis late grassa  
 IIX. A  
 aristoteles: vul

& urbis ac  
 nita, modo  
 comprehen  
 cantur do  
 vero fit vel  
 multitudine  
 ene degen  
 ein Dorff /  
 Altera imò  
 / sequioris  
 inquam &  
 appellatur  
 ed proprie  
 tantum est  
 ti, sed no  
 o definiti  
 nur, utpo  
 m & ipsam  
 , quanam  
 n aliquam  
 jicere,  
 forum sen  
 tyrannico  
 rum primi  
 rint. Alij  
 ille, metu  
 inum ubi  
 ffentit A  
 e. naturæ  
 innato

